

LATINSKÁ
LITERATURA
STŘEDOVĚKÉ
EVROPY

ČÍTANKA



prof. PhDr. Jana Nechutová, CSc.

2.-5. STOLETÍ.....6

BIBLIA SACRA, VERSIO VULGATA. GENESIS 1, 1-28.....	6
ACTA APOSTOLORUM 17, 14 SEQQ.....	7
QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS, <i>DE SPECTACULIS</i>	8
AMBROSIUS, <i>AD GALLI CANTUM</i>	9
AURELIUS AUGUSTINUS, <i>DE CIVITATE DEI, LIBER I, PRAEFATIO</i>	9
AURELIUS AUGUSTINUS, <i>CONFESSIONES, L. VIII, C. 12</i>	10
AURELIUS AUGUSTINUS, <i>DE DOCTRINA CHRISTIANA</i>	12
JERONÝM: <i>DOPIS 22</i>	13
SULPICIUS SEVERUS: <i>VITA SANCTI MARTINI</i>	14
PEREGRINATIO AETHERIAE.....	15
JUVENCUS, <i>4 KNIHY EVANGELIA</i> :.....	16
ARATOR, <i>ACTUS APOSTOLORUM</i>	16
AMBROSIUS THEODOSIUS MACROBIUS, <i>SATURNALIA VII, 13, 6-16</i>	16

6.-8. STOLETÍ.....18

BOETHIUS, <i>DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIAE, L. III,9</i>	18
CASSIODORUS, <i>INSTITUTIONES DIVINARUM ET HUMANARUM LITTERARUM</i>	18
BENEDICTUS DE NURSIA, <i>REGULA, CAPUT XXXIX, DE MENSURA CIBORUM</i>	20
GREGORIUS MAGNUS, <i>DIALOGORUM LIBRI IV</i>	21
VENANTIUS FORTUNATUS, <i>IN HONORE SANCTAE CRUCIS</i>	23
GREGORII TURONENSIS <i>HISTORIA FRANCORUM</i>	23
FREDEGARIJ SCHOLASTICI UT DICITUR <i>CHRONICORUM LIBRI IV</i>	25
VISIO BARONTI.....	27
MARTINUS DE BRAGA, <i>EPISTOLA DE CORRECTIONE RUSTICORUM</i>	28
ISIDOR HISPALENSIS, <i>ETYMOLOGIARUM SIVE ORIGINUM LIBRI XX</i>	29
S. EUGENII EPISCOPI TOLETANI <i>OPUSCULORUM PARS PRIMA. MISCELLANEA</i>	30
S. EUGENII EPISCOPI TOLETANI <i>OPUSCULORUM PARS SECUNDA. SEQUUNTUR MISCELLANEA</i>	31
COLUMBA (COLUM CILLE), <i>ALTUS PROSTRATOR</i>	31
COLUMBA, <i>LIBER HYMNORUM</i>	32
COLUMBA, <i>VERSICULI FAMILIAE BENCHUIR (CHVÁLA KLÁŠTERA)</i>	32
HISPERICA FAMINA.....	32
ADELPHUS ADELPHA.....	33
JONAS, <i>VITA COLUMBANI</i>	33
ALDHELM Z CANTERBURY, <i>EPISTULA AD ACIRCUM</i>	33
BEDA VENERABILIS, <i>HISTORIA ECCLESIASTICA GENTIS ANGLORUM</i>	34
BEDA VENERABILIS, <i>DE ORTHOGRAPHIA</i>	37
BEDA VENERABILIS, <i>DE RATIONE TEMPORUM</i>	38
TATUINUS (TATWINE), <i>AENIGMATA</i>	39
NAVIGATIO SANCTI BRENDANI.....	40
CORIPPUS, <i>IOHANNIS</i>	41

9. STOLETÍ.....42

CAROLUS MAGNUS, <i>EPISTULA DE LITTERIS COLENDIS</i>	42
PAULUS DIACONUS, <i>HISTORIA LANGOBARDORUM</i>	42
PAULUS DIACONUS, <i>VERSUS IN LAUDE LARII LACI</i>	44
PAULUS DIACONUS, <i>ITEM VERSUS PAULI AD REGEM PRECANDO</i>	44

ALCIUN, <i>DISPUTATIO PIPPINI REGALIS ET NOBILISSIMI IUVENIS CUM ALBINO SCHOLASTICO LXXVII</i>	45
ALCUIN, <i>DE SANCTIS EBORACENSIS ECCLESIAE (VV. 1525-1561)</i>	46
ALCUIN, <i>HIC SEDEANT SCRIBENTES</i>	47
ALCUIN, <i>VERSUS DE CUCULLO</i>	47
ALCUIN, <i>SPOR JARA A ZIMY</i>	48
ALCUIN, <i>O MEA CELLA</i>	49
ANGILBERTUS CENTULENSIS, <i>CARMINA, 2</i>	50
THEODULF ORLEÁNSKÝ, <i>DE LIBRIS QUOS LEGERE SOLEBAM</i>	51
THEODULF ORLEÁNSKÝ, <i>VLASTNÍ EPITAF</i>	52
VERSUS ANGILBERTI	53
CAROLUS MAGNUS ET LEO PAPA (VV. 53-87)	56
EINHARDUS, <i>VITA CAROLI MAGNI</i>	57
EINHARDUS, <i>DOPIS HRABANU MAUROVI</i>	57
IOHANNES DIACONUS, <i>VITA GREGORII PAPAE (L. II)</i>	58
HRABANUS MAURUS, <i>HYMNUS IN PENTECOSTEN</i>	58
HRABANUS MAURUS, <i>AETERNE RERUM CONDITOR</i>	59
WALAFRIDUS STRABO, <i>VISIO WETTINI (VV 22-26, 787-801)</i>	60
WALAFRIDUS STRABO, <i>DE CULTURA HORTORUM</i>	61
GOTŠALK, <i>CARMINA</i>	61
VERSUS	65
NOTKER BALBULUS, <i>IN NATIVITATE DOMINI</i>	66
CASUS SANCTI GALLI	67
SEDULIUS SCOTUS, <i>CARMINA II, 9</i>	68
SEDULIUS SCOTUS, <i>CARMINA II, 74 (AUTOPORTRÉT)</i>	69
LUPUS DE FERRIÈRES, <i>EP. I. AD EINHARDUM</i>	69
LUPUS FERRARIENSIS, <i>EPISTULAE, MPL 119</i>	71
VILÉM Z MALMESBURY, <i>GESTA REGUM ANGLORUM II, 19</i>	71
JAN SCOTUS ERIUGENA, <i>DE DIVISIONE NATURAE I</i>	71
RHYTHMI DHUODANAE	72
10.STOLETÍ	75
HROTSVITHA: <i>CONVERSIO THAIDIS MERETRICIS ALIAS PAFNUTIUS</i>	75
HROTSVITHA: <i>PASSIO SANCTI DIONISII EGREGII MARTIRIS</i>	76
REGINO Z PRŮMU, <i>CHRONICON</i>	77
REGINONIS ABBATIS PRUMIENSIS <i>CHRONICON</i>	78
LIUTPRANDUS CREMONENSIS, <i>ANTAPODOSIS</i>	80
WIDUKIND, <i>RES GESTAE SAXONICAE</i>	82
THIETMARI MERSEBURGENSIS EPISCOPI <i>CHRONICON</i>	83
ECBASIS CAPTIVI	84
WALTHARIUS I, 277-328	86
LETALDUS MICIACENSIS. <i>WITHIN PISCATOR</i>	87
11.STOLETÍ	88
CARMINA CANTABRIGIENSIA	88
RUODLIEB	91
UNIBOS	92
EGBERTUS LEODIENSIS, <i>FECUNDA RATIS</i>	96
<i>VICTIMAE PASCHALI (WIPO, + 1050)</i>	97
OTLOH OD SV. JIMRAMA, <i>DE DOCTRINA SPIRITUALI</i>	97
MAROBUDUS REDONENSIS, <i>LIBER LAPIDUM</i>	98

MAROBUDUS REDONENSIS, <i>LIBER DECEM CAPITULORUM</i>	98
MAROBUDUS REDONENSIS, <i>DE ORNAMENTIS VERBORUM</i>	98
MAROBUDUS REDONENSIS, <i>VITA THAISIDIS</i>	100
BAUDRI DE BOURGUEIL.....	103
REGINALD Z CANTERBURY	110
ADAM BREMENSIS, <i>GESTA HAMBURGENSIS ECCLESIAE PONTIFICUM</i>	110
GUIDO ARETINUS, <i>MICROLOGUS</i>	112
PETRUS DAMIANI, <i>Z KORESPONDENCE</i> :	113
PETRUS DAMIANI <i>VITA SANCTI ROMUALDI</i>	113

12.STOLETÍ 115

CARMINA BURANA	115
ARCHIPOETA, <i>CARMINA, V</i>	119
ADAM OD SV. VIKTORA, <i>SPLENDOR PATRIS ET FIGURA</i>	122
ADAM OD SV. VIKTORA, <i>SALVE MATER SALVATORIS</i>	124
ADAM A SANCTO VICTORE, <i>ZYMA VETUS EXPURGETUR</i>	126
HENRICUS SEPTIMELLENSIS, <i>DE DIVERSITATE FORTUNAE ET DE PHILOSOPHIAE CONSOLATIONE</i>	128
YSENGRIMUS 1-34	130
MATHAEUS VINDOCINENSIS, <i>ARS VERSIFICATORIA, 106-108</i>	130
MATTHAEUS VINDOCINENSIS, <i>PYRAMUS ET THISBE</i>	132
GUALTERUS DE CASTELLIONE, <i>CARMINA</i>	135
GUALTERUS DE CASTELLIONE, <i>VERSA EST IN LUCTUM CITHARA WALTHERI (CARMINA BURANA 123)</i>	136
GUALTERUS DE CASTELLIONE, <i>MISSUS SUM IN VINEAM</i>	138
GUALTERUS DE CASTELLIONE, <i>ALEXANDREIS I, 1-43</i>	140
ALANUS AB INSULIS, <i>ANTICLAUDIANUS</i>	141
ALANUS AB INSULIS, <i>DE PLANCTU NATURAE</i>	142
ALANUS AB INSULIS, <i>EXCEPTIVAM ACTIONEM</i>	142
ALANUS AB INSULIS, <i>LIBER PARABOLARUM</i>	143
BERNARDUS MORLANENSIS, <i>DE CONTEMPTU MUNDI, I</i>	143
DISPUTACIO VINI ET AQUE, <i>SUMMA RECREATORUM, IV. TRAKTÁT</i>	143
PETRUS ALFONSI, <i>DISCIPLINA CLERICALIS</i>	146
OTTO Z FREISINGU, <i>CHRONICA SIVE HISTORIA DE DUABUS CIVITATIBUS, LIB. 7, CAP. XXVI</i>	148
GOTIFREDUS VITERBIENSIS, <i>GESTA FRIDERICI</i>	148
SAXO GRAMMATICUS, <i>GESTA DANORUM</i>	149
HILDEGARDIS BINGENSIS, <i>SCIVIAS, LIB. I, PRAEF., VISIO I</i>	149
ABAEIARD, <i>HISTORIA CALAMITATUM</i>	150
PETER ABÉLARD, <i>PLANCTUS SACRI</i>	152
TROTULA, <i>DE ORNATU MULIERUM</i>	159
TROTULA, <i>DE CURIS MULIERUM</i>	159
BERNARD DE CLAIRVAUX, <i>PLANCTUS SUPER FRATREM GIRARDUM</i>	160
HUGO A SANCTO VICTORE, <i>DE TRIBUS DIEBUS</i>	161
HUGO A SANCTO VICTORE, <i>DIDASCALICON</i>	161
JAN ZE SALISBURY, <i>POLICRATICUS, KN. 4</i>	162
PETR Z BLOIS, <i>EPISTULAE</i> ,	163
PETRUS RIGA, <i>BIBLIA VERSIFICATA – AURORA</i>	164

13.STOLETÍ 167

ROBERT GROSSETESTE, <i>DE SPHAERA, CAP. V</i>	167
TOMÁŠ AKVINSKÝ, <i>DE EMPTIONE ET VENDITIONE AD TEMPUS</i>	167
PETRUS DE VINEIS: <i>EPIST. III/X</i>	168

GALFREDUS DE VINO SALVO, <i>POETRIA NOVA</i>	168
GUIDO FABA, <i>SUMMA DE VITIIS ET VIRTUTIBUS, LIB. 1 (DE VITIIS)</i>	169
FRIDRICH II., <i>DE ARTE VENANDI CUM AVIBUS, PROLOG</i>	170
EBERHARDUS ALEMANNUS, <i>LABORINTUS</i>	170
CAESARIUS Z HEISTERBACHU, <i>DIALOGUS MIRACULORUM</i>	171
<i>STABAT MATER</i>	172
DIES IRAE	173

2.-5. století

Biblia sacra, versio Vulgata. Genesis 1, 1-28.

1 In principio creavit Deus caelum et terram.

2 Terra autem erat inanis et vacua, et tenebrae super faciem abyssi, et spiritus Dei ferebatur super aquas.

3 Dixitque Deus: fiat lux! Et facta est lux.

4 Et vidit Deus lucem, quod esset bona, et divisit lucem ac tenebras,

5 appellavitque lucem diem et tenebras noctem, factumque est vespere et mane, dies unus.

6 Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum et dividat aquas ab aquis!

7 Et fecit Deus firmamentum divisitque aquas, quae erant sub firmamento, ab his, quae erant super firmamentum, et factum est ita,

8 vocavitque Deus firmamentum caelum. Et factum est vespere et mane, dies secundus.

9 Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum, et appareat arida, factumque est ita,

10 et vocavit Deus aridam terram congregationesque aquarum appellavit maria. Et vidit Deus, quod esset bonum.

11 Et ait: Germinet terra herbam virentem et facientem semen et lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semet ipso sit super terram, et factum est ita,

12 et protulit terra herbam virentem et adferentem semen iuxta genus suum lignumque faciens fructum et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus, quod esset bonum.

13 Factumque est vespere et mane, dies tertius.

14 dixit autem Deus fiant luminaria in firmamento caeli ut dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos

15 ut luceant in firmamento caeli et inluminent terram et factum est ita

16 fecitque Deus duo magna luminaria luminare maius ut praeesset diei et luminare minus ut praeesset nocti et stellas

17 et posuit eas in firmamento caeli ut lucerent super terram

18 et praeesent diei ac nocti et dividerent lucem ac tenebras et vidit Deus quod esset bonum

19 et factum est vespere et mane dies quartus

20 dixit etiam Deus producant aquae reptile animae viventis et volatile super terram sub firmamento caeli

21 creavitque Deus cete grandia et omnem animam viventem atque motabilem quam produxerant aquae in species suas et omne volatile secundum genus suum et vidit Deus quod esset bonum

22 benedixitque eis dicens crescite et multiplicamini et replete aquas maris avesque multiplicentur super terram

23 et factum est vespere et mane dies quintus

24 dixit quoque Deus producat terra animam viventem in genere suo iumenta et reptilia et bestias terrae secundum species suas factumque est ita

25 et fecit Deus bestias terrae iuxta species suas et iumenta et omne reptile terrae in genere suo et vidit Deus quod esset bonum

26 et ait faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram et praesit piscibus maris et volatilibus caeli et bestiis universaeque terrae omnique reptili quod movetur in terra

27 et creavit Deus hominem ad imaginem suam ad imaginem Dei creavit illum masculum et feminam creavit eos

28 benedixitque illis Deus et ait crescite et multiplicamini et replete terram et subicite eam et dominamini piscibus maris et volatilibus caeli et universis animantibus quae moventur super terram.

Acta Apostolorum 17, 14 seqq.

14 Statim tunc Paulum dimiserunt fratres, ut iret usque ad mare, Silas autem et Timotheus remanserunt ibi.

15 Qui autem deducebant Paulum, perduxerunt usque Athenas, et accepto mandato ab eo ad Silam et Timotheum, ut quam celeriter venirent ad illum, profecti sunt.

16 Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incitabatur spiritus eius in ipso videns idolatriae deditam civitatem.

17 Disputabat igitur in synagoga cum Iudaeis et colentibus et in foro per omnes dies ad eos, qui aderant.

18 Quidam autem epicurei et stoici philosophi disserebant cum eo; et quidam dicebant: quid vult seminiverbius hic dicere? Alii vero: novorum daemoniorum videtur adnuntiator esse. Quia Iesum et resurrectionem adnuntiabat eis

19 Et adprehensum eum ad Ariopagum duxerunt dicentes: Possumus scire, quae est haec nova quae a te dicitur doctrina?

20 Nova enim quaedam infers auribus nostris. Volumus ergo scire, quidnam velint haec esse.

21 Athenienses autem omnes et advenae hospites ad nihil aliud vacabant nisi aut dicere aut audire aliquid novi.

22 Stans autem Paulus in medio Ariopagi ait: Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video:

23 praeteriens enim et videns simulacra vestra inveni et aram, in qua scriptum erat: _Ignoto deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego adnuntio vobis. Odtud nepravováno (interp.) xxx

24 Deus qui fecit mundum et omnia quae in eo sunt hic caeli et terrae cum sit Dominus non in manufactis templis inhabitat

25 nec manibus humanis colitur indigens aliquo cum ipse det omnibus vitam et inspirationem et omnia

26 fecitque ex uno omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae definiens statuta tempora et terminos habitationis eorum

27 quaerere Deum si forte adtractent eum aut invenient quamvis non longe sit ab unoquoque nostrum

28 in ipso enim vivimus et movemur et sumus sicut et quidam vestrum poetarum dixerunt ipsius enim et genus sumus

29 genus ergo cum simus Dei non debemus aestimare auro aut argento aut lapidi sculpturae artis et cogitationis hominis divinum esse simile

30 et tempora quidem huius ignorantiae despiciens Deus nunc adnuntiat hominibus ut omnes ubique paenitentiam agant

31 eo quod statuit diem in qua iudicaturus est orbem in aequitate in viro in quo statuit fidem praebens omnibus suscitans eum a mortuis

32 cum audissent autem resurrectionem mortuorum quidam quidem inridebant quidam vero dixerunt audiemus te de hoc iterum

33 sic Paulus exivit de medio eorum

34 quidam vero viri adherentes ei crediderunt in quibus et Dionisius Ariopagita et mulier nomine Damaris et alii cum eis.

Quintus Septimius Florens Tertullianus, *De spectaculis*

kap. 8, 7-11

[7] ... de locis quidem locus est retractandi ad praeveniendam quorundam interrogationem. [8] quid enim, inquis, si alio in tempore circum adiero, periclitabor de inquinamento? nulla est praescriptio de locis. nam non sola ista conciliabula spectaculorum, sed etiam templa ipsa sine periculo disciplinae adire servus dei potest urgente causa simplici dumtaxat, quae non pertineat ad proprium eius loci negotium vel officium. [9] ceterum et plateae et forum et balneae et stabula et ipsae domus nostrae sine idolis omnino non sunt: totum saeculum satanas et angeli eius repleverunt. [10] non tamen quod in saeculo sumus, a deo excidimus, sed si quid de saeculi criminibus attigerimus. proinde si Capitolium, si Serapeum sacrificator vel adorator intravero, a deo excidam, quemadmodum circum vel theatrum spectator. loca nos non contaminant per se, sed quae in locis fiunt, a quibus et ipsa loca contaminari altercati sumus: de contaminatis contaminamur. [11] propterea autem commemoramus, quibus eiusmodi loca dicuntur ut eorum demonstramus esse quae in iis locis fiunt, quibus ipsa loca dicantur.

kap. 12, 1-5

[1] superest illius insignissimi spectaculi ac receptissimi recognitio. munus dictum est ab officio, quoniam officium etiam muneris nomen est. officium autem mortuis hoc spectaculo facere se veteres arbitrabantur, posteaquam illud humaniore atrocitate temperaverunt. [2] nam olim, quoniam animas defunctorum humano sanguine propitiari creditum erat, captivos vel mali status servos mercati in exequis immolabant. [3] postea placuit impietatem voluptate adumbrare. itaque quos paraverant, armis quibus tunc et qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent, mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant. ita mortem homicidiis consolabantur. [4] haec muneri origo. sed panlatim provecti ad tantam gratiam, ad quantam et crudelitatem, quia ferarum voluptati satis non fiebat nisi et feris humana corpora dissiparentur. quod ergo mortuis litabatur, utique parentationi deputabatur; quae species proinde idololatria est, quoniam et idololatria parentationis est species: tam haec quam illa mortuis ministrat. [5] in mortuorum autem idolis daemonia consistunt.

Ambrosius, *Ad Galli cantum*

- Aeterne rerum conditor,
Noctem diemque qui regis
Et temporum das tempora,
Ut alleves fastidium,
- 5 Praeco diei iam sonat,
Noctis profundae pervigil,
Nocturna lux viantibus,
A nocte noctem segregans.
- 10 Hoc excitatus lucifer
Solvit polum caligine,
Hoc omnis errorum chorus
Vias nocendi deserit.
- 15 Hoc nauta vires colligit
Pontique mitescunt freta,
Hoc ipse petra ecclesiae
Canente culpam diluit.
- 20 Surgamus ergo strenue,
Gallus iacentes excitat,
Et somnolentos increpat,
Gallus negantes arguit.
- Gallo canente spes redit,
Aegris salus refunditur,
Mucro latronis conditur,
Lapsis fides revertitur.
- 25 Iesu, labentes respice
Et nos videndo corrige,
Si respicis, lapsus cadunt,
Fletuque culpa solvitur.
- 30 Tu lux refulge sensibus
Mentisque somnum discute,
Te nostra vox primum sonet,
Et ora solvamus tibi.

G. M. Dreves, Analecta hymnica medii aevi, L, 11

Aurelius Augustinus, *De civitate Dei, liber I., Praefatio*

Gloriosissimam civitatem Dei sive in hoc temporum cursu, cum inter impios peregrinatur ex fide vivens, sive in illa stabilitate sedis aeternae, quam nunc expectat per patientiam, quoadusque iustitia convertatur in iudicium, deinceps adeptura per excellentiam victoria ultima et pace perfecta, hoc opere instituto et mea ad te promissione debito defendere adversus eos, qui conditori ejus deos suos praeferunt, fili carissime Marcelline, suscepi, magnum opus et arduum, sed Deus adjutor noster est. Nam scio quibus viribus opus sit, ut persuadeatur superbis quanta sit virtus humilitatis, qua fit ut omnia terrena cacumina temporali mobilitate nutantia non humano usurpata fastu, sed divina gratia donata celsitudo transcendat. Rex enim et conditor civitatis hujus, de qua loqui instituimus, in scriptura populi sui sententiam divinae legis aperuit, qua dictum est: Deus superbis resistit, humilibus autem

dat gratiam. Hoc vero, quod Dei est, superbae quoque animae spiritus inflatus affectat amatque sibi in laudibus dici: Parcere subjectis et debellare superbos. Unde etiam de terrena civitate, quae cum dominari adpetit, etsi populi serviant, ipsa ei dominandi libido dominatur, non est praetereundum silentio quidquid dicere suscepti hujus operis ratio postulat si facultas datur.

Ex hac namque existunt inimici, adversus quos defendenda est Dei civitas, quorum tamen multi correcto impietatis errore cives in ea fiunt satis idonei; multi vero in eam tantis exardescunt ignibus odiorum tamque manifestis beneficiis redemptoris ejus ingrati sunt, ut hodie contra eam linguas non moverent, nisi ferrum hostile fugientes in sacratis ejus locis vitam, de qua superbiunt, invenirent. An non etiam illi Romani Christi nomini infesti sunt, quibus propter Christum barbari pepercerunt? Testantur hoc martyrum loca et basilicae apostolorum, quae in illa vastatione Urbis ad se confugientes suos alienosque receperunt. Huc usque cruentus saeviebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, illo ducebantur a miserantibus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pepercerant, ne in eos incurrerent, qui similem misericordiam non habebant. Qui tamen etiam ipsi alibi truces atque hostili more saevientes posteaquam ad loca illa veniebant, ubi fuerat interdictum quod alibi belli jure licuisset, et tota ferendi refrenabatur immanitas et captivandi cupiditas frangebatur. Sic evaserunt multi, qui nunc Christianis temporibus detrahunt et mala, quae illa civitas pertulit, Christo imputant; bona vero, quae in eos ut viverent propter Christi honorem facta sunt, non imputant Christo nostro, sed fato suo, cum potius deberent, si quid recti saperent, illa, quae ab hostibus aspera et dura perpassi sunt, illi providentiae divinae tribuere, quae solet corruptos hominum mores bellis emendare atque conterere itemque vitam mortalium justam atque laudabilem talibus afflictionibus exercere probatamque vel in meliora transferre vel in his adhuc terris propter usus alios detinere; illud vero, quod eis vel ubicumque propter Christi nomen vel in locis Christi nomini dicatissimis et amplissimis ac pro largiore misericordia ad capacitatem multitudinis electis praeter bellorum morem truculenti barbari pepercerunt, hoc tribuere temporibus Christianis, hinc Deo agere gratias, hinc ad ejus nomen veraciter currere, ut effugiant poenas ignis aeterni, quod nomen multi eorum mendaciter usurparunt, ut effugerent poenas praesentis exitii. Nam quos vides petulanter et procaciter insultare servis Christi, sunt in eis plurimi, qui illum interitum clademque non evasissent, nisi servos Christi se esse finxissent. Et nunc ingrata superbia atque impiissima insania ejus nomini resistunt corde perverso, ut sempiternis tenebris puniantur, ad quod nomen ore vel subdolo confugerunt, ut temporali luce fruerentur.

Aurelius Augustinus, *Confessiones*, l. VIII., c. 12.

Ubi vero a fundo arcano alta consideratio traxit et congegit totam miseriam meam in conspectu cordis mei, oborta est procella ingens, ferens ingentem imbrem lacrimarum. et ut totum effunderem cum vocibus suis, surrexi ab Alypio -- solitudo mihi ad negotium flendi aptior suggerebatur -- et secessi remotius, quam ut posset mihi onerosa esse etiam eius praesentia. sic tunc eram, et ille sensit: nescio quid enim, puto, dixeram, in quo apparebat sonus vocis meae iam fletu gravidus, et sic surrexeram. mansit ergo ille ubi sedebamus nimie stupens. ego sub quadam fici arbore stravi me nescio quomodo, et dimisi habenas lacrimis, et proruperunt flumina oculorum meorum, acceptabile sacrificium tuum, et non quidem his verbis, sed in hac sententia multa dixi tibi: et tu, domine, usquequo? usquequo, domine, irasceris in finem? ne memor fueris iniquitatum nostrarum antiquarum. sentiebam enim eis me teneri. iactabam voces miserabiles: quamdiu, quamdiu cras et cras? quare non modo? quare non hac hora finis turpitudinis meae? Dicebam haec, et flebam, amarissima contritione cordis mei. et ecce audio vocem de vicina domo cum cantu dicentis, et crebro repentis, quasi pueri an puellae, nescio: tolle lege, tolle lege. statimque mutato vultu intentissimus cogitare coepi,

utrumnam solerent pueri in aliquo genere ludendi cantitare tale aliquid, nec occurrebat omnino audisse me uspiam: repressoque impetu lacrimarum surrexi, nihil aliud interpretans divinitus mihi iuberi, nisi ut aperirem codicem et legerem quod primum caput invenissem. audieram enim de Antonio, quod ex evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tamquam sibi diceretur quod legebatur: vade, vende omnia, quae habes, da pauperibus et habebis thesaurum in caelis; et veni, sequere me: et tali oraculo confestim ad te esse conversum. itaque concitus redii in eum locum, ubi sedebat Alypius: ibi enim posueram codicem apostoli, cum inde surrexeram. arripui, aperui et legi in silentio capitulum, quo primum coniecti sunt oculi mei: non in comissionibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et aemulatione, sed induite dominum Iesum Christum, et carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis. nec ultra volui legere, nec opus erat. statim quippe cum fine huiusce sententiae, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebrae diffugerunt. Tum interiecto aut digito aut nescio quo alio signo, codicem clausi, et tranquillo iam vultu indicavi Alypio. at ille quid in se ageretur -- quod ego nesciebam -- sic indicavit. petit videre quid legissem: ostendi, et attendit etiam ultra quam ego legeram, et ignorabam quid sequeretur. sequebatur autem: infirmum vero in fide recipite. quod ille ad se rettulit mihi aperuit. sed tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono (et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius iam olim valde longeque distabat), sine ulla turbulenta cunctatione coniunctus est. inde ad matrem ingredimur, indicamus: gaudet. narramus, quemadmodum gestum sit: exultat et triumphat, et benedicebat tibi, qui potens es ultra quam petimus aut intellegimus facere, quia tanto amplius sibi a te concessum de me videbat, quam petere solebat miserabilibus flebilibusque gemitibus. convertisti enim me ad te, ut nec uxorem quaererem nec aliquam spem saeculi huius, stans in ea regula fidei, in qua me ante tot annos ei revelaveras: et convertisti luctum eius in gaudium, multo uberius, quam voluerat, et multo carius atque castius, quam de nepotibus carnis meae requirebat.

3.1.1.

veni Carthaginem, et circumstrepebat me undique sartago flagitiosorum amorum. nondum amabam, et amare amabam, et secretiore indigentia oderam me minus indigentem. quaerebam quid amarem, amans amare, et oderam securitatem et viam sine muscipulis, quoniam fames mihi erat intus ab interiore cibo, te ipso, deus meus, et ea fame non esuriebam, sed eram sine desiderio alimentorum incorruptibilium, non quia plenus eis eram, sed quo inanior, fastidiosior. et ideo non bene valebat anima mea et ulcerosa proiciebat se foras, miserabiliter scalpi avida contactu sensibilium. sed si non haberent animam, non utique amarentur. amare et amari dulce mihi erat, magis si et amantis corpore fruerer. venam igitur amicitiae coinquinabam sordibus concupiscentiae candoremque eius obnubilabam de tartaro libidinis, et tamen foedus atque inhonestus, elegans et urbanus esse gestiebam abundanti vanitate. rui etiam in amorem, quo cupiebam capi. deus meus, misericordia mea, quanto felle mihi suavitatem illam et quam bonus aspersisti, quia et amatus sum, et perveni occulte ad vinculum fruendi, et conligabar laetus aerumnosis nexibus, ut caederer virgis ferreis ardentibus zeli et suspicionum et timorum et irarum atque rixarum.

3.2.2.

rapiebant me spectacula theatra, plena imaginibus miseriarum mearum et fomitibus ignis mei. quid est quod ibi homo vult dolere cum spectat luctuosa et tragica, quae tamen pati ipse nollet? et tamen pati vult ex eis dolorem spectator et dolor ipse est voluptas eius. quid est nisi mirabilis insania? nam eo magis eis movetur quisque, quo minus a talibus affectibus sanus est, quamquam, cum ipse patitur, miseria, cum aliis compatitur, misericordia dici solet. sed qualis

tandem misericordia in rebus fictis et scenicis? non enim ad subveniendum provocatur auditor sed tantum ad dolendum invitatur, et actori earum imaginum amplius favet cum amplius dolet. et si calamitates illae hominum, vel antiquae vel falsae, sic agantur ut qui spectat non doleat, abscedit inde fastidians et reprehendens; si autem doleat, manet intentus et gaudens lacrimat.

Aurelius Augustinus, *De doctrina christiana*

XL. 60. Dále¹ ti, kteří se označují jako filozofové²: pokud snad řekli něco pravdivého, co se shoduje s naší vírou -- a byli to nejspíš Platónovi stoupenci,³ nejenže se takových věcí nemusíme děsit, ale máme si je u nich přivlastnit a využít pro sebe, neboť oni nejsou jejich právoplatnými držiteli. Egyptané totiž neměli jen modly a těžkou dřinu, jichž se izraelský lid hrozil a před nimiž prchal, ale měli též zlaté a stříbrné nádoby, šperky a pláště,⁴ které si onen lid při odchodu z Egypta potají přivlastnil (nikoli o své újmě, ale na boží rozkaz), aby jich užíval lépe; konečně Egyptané sami jim věci, jichž neužívali náležitě, nevědomky propůjčili a přenechali. A právě tak všechna pohanská učení nemají jen prázdné a pověrečné výmysly, břemena, která znamenají zbytečnou zátěž a jichž se každý z nás, když veden Kristem odchází z pohanského společenství, musí hrozit a jimž se musí vyhýbat, ale obsahují též svobodné nauky, jichž může pravda dobře použít, dále velice užitečné mravní příkazy, a konečně je u nich možno nalézt některé pravdy o uctívání jediného Boha.

Toto své zlato a stříbro ovšem nevytvořili sami, ale jako by je vydobyli z jakýchsi dolů všude se rozlévajících božské prozřetelnosti, zneužívají jej však zvráceně a bezprávně ke službě démonům; křesťan, duchovně se vydělující z jejich bídne společnosti, jim je tedy má odebrat, aby mohlo být k dispozici oprávněnému užití v kázání evangelia. A budeme smět přejmout, vlastnit a obrátit k užítku křesťanství také jejich pláště, což jsou sice ustanovení lidská, ale pro lidskou společnost vhodná a v tomto životě se bez nich neobejdeme.

61. Co jiného ostatně učinili mnozí dobří a věrní křesťané? Nevidíme snad, jakým množstvím zlata a stříbra i plášťů byl obtížen při svém odchodu z Egypta přesladký učitel a přeblažený mučedník Cyprianus? Nebo Lactantius? A Victorinus, Optatus, Hilarius⁵ -- abych pomlčel

¹ Augustin se dostává k vrcholnému místu svého pojednání o možnosti a nezbytnosti obrátit výtobytky pohanské kultury ve prospěch křesťanství; po jednotlivých disciplínách se dostává k pohanské filozofii: pasáže je známá jako výklad o "egyptské kořisti".

² V *De civitate Dei* VIII,1 interpretuje Augustin "filozofa" řeckým překladem výrazu jako "milovníka moudrosti"; vezme-li se v úvahu křesťanské pojetí moudrosti, jež je vlastně totožná s Bohem, je pojem "pohanský filozof" vlastně protimluvem. Proto zde autor relativizuje výraz "filozofové" dodatkem *qui vocantur*, "kteří se označují".

³ Augustin má na mysli spíše novoplatoniky. O Platónovi i o jeho žácích a následovnicích mluví v podobném smyslu jako zde v *De civitate Dei* VIII,4nn. Platónovo učení je ze všech antických filozofických systémů křesťanskému teologickému i etickému myšlení nejbližší zejména konceptem reálné existence jediného Boha a jeho vlastností. Toto stanovisko zastávali i starší řečtí otcové (Klement Alexandrijský, Órigenés).

⁴ Srv. Ex 3,22; 11,2; 12,35 -- 36; závěrečný z uvedených veršů Exodu (12,36) končí slovy "tak vyplenili Egypt". Podobnou interpretaci "egyptské kořisti" či "egyptského plenu", jakou přináší Augustin, nacházíme již u Órigena, z latinských křesťanských autorů u Tertulliana a Hilaria z Poitiers.. -- Izraelci s sebou při odchodu z Egypta vzali stříbrné a zlaté šperky, ozdoby a pláště, a učinili tak na přímý Hospodinův pokyn. Mravní stránku tohoto jednání bylo možno zpochybňovat, čehož využili gnostikové a manichejci, kteří i na základě tohoto vyprávění poukazovali na nedokonalost Starého Zákona a starozákonního Boha Stvořitele.

⁵ Thascius Caecilius Cyprianus, africký církevní spisovatel, Kartágo asi 210/15-- 258; Lucius Caecilius Firmianus Lactantius, církevní spisovatel pův. z Afriky, asi 260--317 v Trevíru; Victorinus de Petavia, církevní spisovatel, jeden z prvních lat. exegetů, + asi 304; Optatus de Mileve, církevní spisovatel, biskup v numidském městě Mileve, kol. pol. 4. stol.; Hilarius Pictaviensis, církevní spisovatel v Galii, bojovník proti arianismu, asi 315--367; srv. J. Doignon, *Nos bonns hommes de foi, Cyprien, Lactance, Victorin, Optat et Hilaire*.

o živých? ⁶ Co nesčetní Řekové? Právě to učinil jako první sám nejvěrnější služebník Hospodinův Mojžíš, o němž je psáno, že byl vychován ve veškeré egyptské moudrosti. ⁷ Pohané, oddaní svým pověřčivým zvykům, by nikdy, a zvláště ne tehdy, když ještě odmítali Kristovo jho a křesťany pronásledovali, nebyli neposkytli nauky, které jim byly užitečné, kdyby tušili, že budou obráceny ve prospěch úcty k jedinému Bohu a že tento kult jednou jejich jalové modlářství vyvrátí: odevzdali své zlato, stříbro a pláště božímu lidu, když vycházel z Egypta, aniž věděli, jak to, co dali, bude obráceno ve prospěch služby Kristu. Tedy to, co čteme v Exodu, je nepochybně předobrazem právě této situace (přičemž nevylučuji jiný, stejně dobrý nebo lepší výklad).

Překlad Jany Nechutové (Křesťanská vzdělanost, Praha 2004) II, XL 60-61

Jeroným: Dopis 22

Hleď, aby ses nezdála příliš výmluvnou, a nehledej potěšení v skládání lyrických básní. *A jaké je spolužití světla s temnotou? Jaký souzvuk Krista s Belíálem?*⁸ Co mají žalmy společného s Horatiem, Vergilius s evangelií a Cicero s apoštoly?⁹ Nevzbudí snad u tvého bratra pohoršení, spatří-li tě za stolem v pohanském chrámě?¹⁰ Budiž, *čistým je všechno čisté*¹¹ a nemá se zavrňovat nic, co se přijímá s *děkuvzdáním*¹², přece však nelze pít zároveň z kalicha Kristova a z kalicha démonů¹³. Povím ti proto příběh vlastního neštěstí.

30. Před mnoha lety jsem se kvůli království nebeskému odřízl od domova, rodičů, sestry, příbuzných, a což bylo nejobtížnější, i od vybraného jídla, na které jsem byl zvyklý, a vydal se na cestu do Jeruzaléma, abych tu svedl svůj boj. Nedokázal jsem se však zříci knihovny, kterou jsem s obrovským úsilím a námahou dal dohromady během pobytu v Římě. A tak jsem, já hlupák, během postu četl Cicerona. Po mnoha probdělých nocích, po mnoha slzách, které se mi při vzpomínce na dřívější hříchy řinuly z hlubin srdce, jsem brával do rukou Plauta¹⁴. Jakmile jsem se však zase vzpamatoval, a začal číst jednoho z proroků, zhroutil jsem se nad tím neumělým jazykem. Byl jsem jako slepec, který nevidí světlo, vinu však nepřisuzuje svým očím, nýbrž slunci. Zatímco si ze mne dávný had takto tropil šprýmy, přibližně v polovině čtyřicetidenního postu se mého vyčerpaného těla, jež nepoznalo odpočinek, zmocnila horečka, a třebaže to zní neuvěřitelně, tak šířila mé ubohé údy, že na nich kůže jen visela. Zdálo se mi, že se blíží moje poslední hodinka. Celé tělo bylo již chladné, jen v zbědované hrudi, v níž zbývalo ještě trochu tepla, bylo cítit poslední záchvěvy života. Tu jsem byl v náhlém duchovním vytržení předveden před Boží soud. Bylo zde tolik světla a z okolostojících se linula taková záře, že jsem padl na zem a neodvážil se ani pozdvihnout zrak. Když se mě zeptali, čím jsem, odpověděl jsem, že jsem křesťan. Ale ten, jenž seděl v čele, pravil: „Lžeš, ty nejsi stoupenec Kristův, ale Ciceronův; *kde je tvůj poklad,*

⁶ 1.kniha spisu (a tudíž celá první část, sepsaná před přerušením ve 3.kn., XXV,35) byla tedy sepsána před rokem 397, neboť v tomto výčtu již zesnulých autorit není zmíněn Ambrož Milánský, který zemřel 4. dubna uvedeného roku.

⁷ Sk 7,22

⁸ 2K 6, 14 – 15.

⁹ Ozvěna Tertullianových slov: *Co mají společného Athény a Jeruzalém? Co akademie a církve? Co heretici a křesťané?* (*De praescr. haer.* 7, 9 [CCL 1, 193]).

¹⁰ Srv. 1K 8, 10.

¹¹ Tt 1, 15.

¹² 1Tm 4, 4.

¹³ Srv. 1K 10, 21.

¹⁴ Plautus a Terentius patřily k Jeronýmovým oblíbeným autorům. Jejich hry se už sice v pozdní antice neobjevovaly na scéně, sloužily ale jako texty používané při výuce v gramatických školách a byly považovány za vzor jazykové a stylistické čistoty. Po svém snovém zážitku se Jeroným zařekl, že už nebude pohanské autory číst. O tom, zda toto předsevzetí dodržel, však lze s úspěchem pochybovat.

*tam bude i tvé srdce*¹⁵.“ V tu chvíli jsem oněměl a mezi ranami – přikázal mě totiž zbičovat – , ještě více však mučen vlastním svědomím, jsem si pro sebe zašeptal tento verš: *Což ti v podsvětí vzdá někdo chválu?*¹⁶ A pak jsem začal křičet a kvílet: „Smiluj se nade mnou, Pane, smiluj se nade mnou.“ Ten nářek se mísil se svištěním biče, až nakonec ti, kdo stáli kolem, padli soudci k nohám a prosili ho, aby odpustil mému mládí a dal mi příležitost napravit svůj hřích s tím, že budu-li ještě někdy číst pohanské knihy, budu trpět těmi nejhoršími mukami. A já, který jsem byl v této těžké chvíli ochoten slíbit i mnohem větší věci, jsem se zapřísáhl při jeho jménu: „Pane, budu-li ještě někdy vlastnit nějaké světské knihy nebo je číst, zapřel jsem tě.“ Když jsem složil tuto přísahu, byl jsem propuštěn a vrátil jsem se zpátky na zem. K údivu všech jsem znovu otevřel oči a ty byly tak zalité slzami, že i nevěřící by byli přesvědčeni mou bolestí. To nebyl jen sen a prázdné vidiny, které nás tak často šálí. Svědkem je mi sám soud, před nímž jsem ležel, a samotný rozsudek, jehož se tak bojím. Kéž bych už nikdy nebyl podroben takovému výslechu! Na zádech mi zůstaly fialové podlitiny a rány jsem cítil i po probuzení. Od té chvíle jsem četl Písmo svaté s takovou horlivostí, s jakou jsem světské spisy nikdy nečetl.

Jeroným, Výbor z dopisů. Úvodní studie, překlad a poznámky Jiří Šubrt. Praha, OIKOYMENH 2006, s. 109-113.

Sulpicius Severus: *Vita sancti Martini*

2. (1.) Igitur Martinus Sabaria Pannoniarum oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini altus est parentibus secundum saeculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. (2.) Pater eius miles primum, post tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub rege Constantio, deinde sub Iuliano Caesare militavit – non tamen sponte, quia a primis fere annis divinam potius servitute[m] sacra inlustris pueri spiravit infantia. (3.) Nam cum esset annorum decem, invitis parentibus ad ecclesiam confugit seque catechumenum fieri postulavit. (4.) Mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, cum esset annorum duodecim, eremum concupivit fecissetque votis satis, si aetatis infirmitas non obfuisset. Animus tamen aut circa monasteria aut circa ecclesiam semper intentus meditabatur adhuc in aetate puerili, quod postea devotus inplevit. (5.) Sed cum edictum esset a regibus, ut veteranorum filii ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus eius actibus invidebat, cum esset annorum quindecim, captus et catenatus sacramentis militaribus implicatus est, uno tantum servo comite contentus, cui tamen versa vice dominus serviebat, adeo ut plerumque ei et calciamenta ispe detraheret et ipse detergeret, cibum una caperent, hic tamen saepius ministraret. (6.) Triennium fere ante baptismum in armis fuit, integer tamen ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet. (7.) Multa illi circa commilitones benignitas, mira caritas, patientia vero atque humilitas ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudari non est necesse, qua ita usus est, ut iam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Pro quibus rebus ita sibi omnes commilitones devinxerat, ut eum miro affectu venerarentur. (8.) Necdum tamen regeneratus in Christo agebat quendam bonis operibus baptismati candidatum: adsistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos; nihil sibi ex militiae stipendiis praeter cotidianum victum reservans iam tum evangelii non surdus auditor de crastino non cogitabat.

3. (1.) Quodam itaque tempore, cum iam nihil praeter arma et simplicem militiae vestem haberet, media hieme, quae solito asperior inhorruerat, adeo ut plerosque vis algoris exstingueret, obvium habet in porta Ambianensium civitatis pauperem nudum. Qui cum praetereuntes, ut sui misererentur, oraret omnesque miserum praetereuntes, intellexit vir Deo plenus sibi illum aliis misericordiam non praestantibus reservari. (2.) Quid tamen ageret?

¹⁵ Mt 6, 21.

¹⁶ Ž 6, 6.

Nihil praeter chlamydem, qua indutus erat, habebat; iam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro, quo accinctus erat, mediam dividit partemque eius pauperi tribuit, reliqua rursus induit. Interea de circumstantibus ridere nonnulli, quia deformis esse truncatus habitu videretur. Multi tamen, quibus erat mens sanior, altius gemere, quod nihil simile fecissent, cum utique plus habentes vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. (3.) Nocte igitur insecuta, cum se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suae, qua pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissime Dominum vestemque, quam dederat, iubetur agnoscere. Mox ad angelorum circumstantium multitudinem audit Iesum clara voce dicentem: „Martinus adhuc catechumenus hac me veste contextit.“ (4.) Vere memor Dominus ditorum suorum, qui ante praedixerat: „Quamdiu fecistis uni ex minimis istis, mihi fecistis“, se in paupere professus est fuisse vestitum et ad confirmandum tam boni operis testimonium in eodem se habitu, quem pauper acceperat, est dignatus ostendere. (5.) Quo viso vir beatissimus non in gloriam est elatus humanam, sed bonitatem Dei in suo opere cognoscens, cum esset annorum duodeviginti, ad baptismum convolavit.

(Ed. Kurt Smolak, Eisenstadt 1997, s. 12-16)

Peregrinatio Aetheriae

(Multa desunt)

1. ... Interea ambulantes peruenimus ad quendam locum, ubi se tamen montes illi, inter quos ibamus, aperiebant et faciebant uallem infinitam ingens, planissimam et ualde pulchram et trans uallem apparebat mons sanctus Dei Syna. Hic autem locus, ubi se montes aperiebant, iunctus est cum eo loco, quo sunt memoriae concupiscentiae. In eo ergo loco cum uenitur, ut tamen commonuerunt deductores sancti illi, qui nobiscum erant, dicentes: consuetudo est, ut fiat hic oratio ab his qui ueniunt, quando de eo loco primitus uidetur mons Dei: sicut et nos fecimus. Habebat autem de eo loco ad montem Dei forsitan quattuor milia totum per ualle illa, quam dixi ingens.

2. Vallis autem ipsa ingens est ualde, iacens subter latus montis Dei, quae habet forsitan quantum potuimus uidentes aestimare aut ipsi dicebant, in longo milia passos forsitan sedecim, in lato autem quattuor milia esse appellabant. Ipsam ergo uallem nos trauersare habebamus, ut possimus montem ingredi. Haec est autem uallis ingens et planissima in qua filii Israhel commorati sunt his diebus, quod sanctus Moyses ascendit in montem Domini, et fuit ibi quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Haec est autem uallis, in qua factus est uitulus, qui locus usque in hodie ostenditur; nam lapis grandis ibi fixus stat in ipso loco. Haec ergo uallis ipsa est, in cuius capite ille locus est, ubi sanctus Moyses cum pasceret pecora soceri sui, iterum locutus est ei Deus de rubo in igne. Et quoniam nobis ita erat iter, ut prius montem Dei ascenderemus, qui hinc parat, [quia] unde ueniebamus, melior ascensus erat, et illinc denuo ad illud caput uallis descenderemus, id est ubi rubus erat, quia melior descensus montis Dei erat inde: itaque ergo hoc placuit, ut uisis omnibus quae desiderabamus, descendentes a monte Dei, ubi est rubus, ueniremus, et inde totum per mediam uallem ipsam, qua iacet in longo, rediremus ad iter cum hominibus Dei, qui nobis singula loca, quae scripta sunt, per ipsam uallem ostendebant, sicut et factum est. Nobis ergo euntibus ad eo ioco, ubi uenientes a Faran feceramus orationem, iter sic fuit, ut per medium transuersarem caput ipsius uallis, et sic plecaremus nos ad montem Dei. Mons autem ipse per giro quidem unus esse uidetur; intus autem quod ingrederis, plures sunt, sed totum mons Dei appellatur; specialis autem ille, in cuius summitate est hic locus, ubi descendit maiestas Dei, sicut scriptum est, in medio illorum omnium est. Et cum hi omnes, qui per girum sunt, tam excelsi sint, quam nunquam me puto uidisse, tamen ipse ille medianus, in quo descendit maiestas Dei, tanto altior est omnibus illis, ut cum subissemus in illo, prorsus toti illi montes, quos excessos uideramus, ita infra nos essent, ac si colliculi permodici essent. Illud sane satis admirabile est

et sine Dei gratia puto illud non esse, ut cum omnibus altior sit ille medianus, qui specialis Syna dicitur, id est in quo descendit maiestas Domini, tamen uideri non possit, nisi ad propriam radicem illius ueneris, ante tamen quam eum subeas; nam posteaquam completo desiderio descenderis inde, et de contra illum uides; quod antequam subeas, facere non potes. Hoc autem, antequam perueniremus ad montem Dei, iam referentibus fratribus cognoueram, et postquam ibi perueni, ita esse manifeste cognoui.

3. Nos ergo sabbato sera ingressi sumus montem, et peruenientes ad monasteria quaedam susceperunt nos ibi satis humane monachi, qui ibi commorabantur...

H. Pétré, "Ethérie, Journal de voyage, texte latin, introduction et traduction par...", Paris, s.d. (1957). Jinak též CSEL IXL, 37-101

SC 21, CCL 175, 37-90

Juvenius, 4 knihy Evangelia:

Zasloužily-li si tak dlouhou slávu básně,
které si vymýšlejí lži o dějích dávných lidí,
nám přinese nesmrtelnou slávu a po zásluze nám splatí
jistá důvěra ve věčnou chválu Boha.
Neboť já budu skládat báseň o Kristových životadárných činech,
o tomto božském daru všem lidem, a nedopustím se zločinu lži.
A není třeba se bát, že by světový požár zachvátil a zničil
toto dílo. Snad mne dokonce (toto mé dílo) vyrve ohni
tehdy, až v celém svém lesku a v plamenném oblaku sestoupí z nebe
Soudce, Kristus, sláva Otce, jenž trůní na výsostech.
Tak do toho! Ať při mně stojí posvěcující autor básně,
Duch Svátý, a ať ducha pěvce zavlaží čistou vodou
sladkého Jordánu, tak abych promlouval slova hodná Krista.

Arator, Actus apostolorum

Saul celý hořel touhou svést krutý boj v Damašku
a připravuje se naň s židovskou divokostí. Ale tam, kde se chystá zuřit vlk
najde beránek lásku. Šťastný je úděl pádu,
padá-li při něm vina: když spadlo tělo, naučil se pevně stát
v duchu, a když zavře oči,
tehdy otevírá své srdce, a když končí den,
dochází k rozpoznání nebeského Stvořitele. Jak velkou zásluhu si ta temnota získala!
Potom, co se oči otevřely, vidí ještě větší věci. Dalším pokolením
poskytla plodná víra podivuhodný příklad. Ananiáš zažene
zuřivost, ó nové vítězství! Zkrotí hltavého vlka,
kterého židé považovali za ovečku. Tento hlasatel
bude světu zvěstovat Boha, zbaví se stínu Zákona,
jímž byl zaslepen, bude celému světu svítit
světlem věčného Slunce svým zpěvem. Neustaň, Saule,
oslavovat tento den. Tato noc, plná světla pro mnohé,
je ti dána, a ty zde neseš svou temnotu,
abys mohl očistit od temnoty svět.

Ambrosius Theodosius Macrobius, Saturnalia VII, 13, 6-16

6. His dictis anulum Avienus de mensa rettulit qui illi de brevissimo dexterae manus digito repente deciderat: cumque a praesentibus quaeretur, cur eum alienae manus et digito, et non huic gestamini deputatis potius insereret, ostendit manum laevam ex vulnere tumidiorem.

7. Hinc Horo nata quaestionis occasio, et: „Dic,“ inquit, „Disari (omnis enim situs corporis pertinet ad medici notionem, tu vero doctrinam et ultra quam medicina postulat consecutus es), dic, inquam, cur sibi communis adsensus anulum in digito qui minimo vicinus est, quem etiam medicinalem vocant, et manu praecipue sinistra gestandum esse persuasit?“

8. Et Disarius: „De hac ipsa quaestione sermo quidam ad nos ab Aegypto venerat, de quo dubitabam fabulamne an veram rationem vocarem: sed libris anatomicorum postea consultis verum repperi, nervum quendam de corde natum priorsum pergere usque ad digitum manus sinistrae minimo proximum, et illic desinere implicatum ceteris eiusdem digiti nervis, et ideo visum veteribus ut ille digitus anula tamquam corona circumdaretur.“

9. Et Horus: „Adeo,“ inquit, „Disari, verum est ita ut dicis Aegyptios opinari, ut ego sacerdotes eorum, quos prophetas vocant, cum in templo vidissem circa deorum hunc in singulis digitum confectis odoribus inlinere et eius rei causas requisissem, et de nervo quod iam dictum est principe eorum narrante didicerim, et insuper de numero qui per ipsum significatur. 10. Complicatus enim senarium numerum digitus iste demonstrat, qui omnifariam plenus perfectus atque divinus est. Causasque, cur plenus sit hic numerus, ille multis adseruit: ego nunc ut praesentibus fabulis minus aptas relinquo. Haec sunt quae in Aegypto divinarum omnium disciplinarum compote, cur anulus huic digito magis inferatur, agnovi.“

11. Inter haec Caecina Albinus: „Si volentibus vobis erit,“ inquit, „in medium profero quae de hac eadem causa apud Ateium Capitonem pontificii iuris inter primos peritum legisse memini: qui cum nefas esse sanciret deorum formas insculpi anulis, eo usque processit ut et cur in hoc digito vel in hac manu gestaretur anulus non taceret. 12. *Veteres, inquit, non ornatus sed signandi causa anulum secum circumferebant. Unde nec plus habere quam unum licebat, nec cuiquam nisi libero, quos solos fides deceret quae signaculo continetur: ideo ius anulorum famuli non habebant. Inprimebatur autem sculptura materiae anuli, sive ex ferro sive ex auro foret, et gestabatur, ut quisque vellet, quacumque manu, quolibet digito.*

13. *Postea, inquit, usus luxuriantis aetatis signaturas pretiosis gemmis coepit insculpere: et certatim haec omnis imitatio lacesivit ut de augmento pretii quo sculpendos lapides parassent gloriarentur. Hinc factum est ut usu anulorum exemptus dexterae, quae multum negotiorum gerit, in laevam relegaretur, quae otiosior est, ne crebru motu et officio manus dexterae pretiosi lapides frangerentur.* 14. *Electus autem, inquit, in ipsa laeva manu digitus minimo proximus quasi aptior ceteris cui commendaretur anuli pretiositas. Nam pollex, qui nomen ab eo quod pollet accepit, nec in sinistra cessat, nec minus quam tota manus semper in officio est: unde et apud Graecos 'ντίχειρ, inquit, vocatur quasi manus altera.*

15. *Pollici vero vicinus nudus et sine tuitione alterius adpositi videbatur: nam pollex ita inferior est ut vix radicem eius excedat. Medium et minimum vitaverunt, inquit, ut ineptos, alterum magnitudine, brevitate alterum, et electus est qui ab utroque clauditur et minus officii gerit et ideo servando anulo magis accommodatus est.* 16. Haec sunt quae lectio pontificalis habet: unusquisque, ut volet, vel Etruscam vel Aegyptiam opinionem sequatur.“

6.-8. století

Boethius, *De consolatione philosophiae*, l. III,9

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
terrarum caelique sator, qui tempus ab aevo
ire iubes stabilisque manens das cuncta moueri,
quem non externae pepulerunt fingere causae
materiae fluitantis opus verum insita summi
forma boni liuore carens, tu cuncta superno
ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse
mundum mente gerens similique in imagine formans
perfectasque iubens perfectum absoluere partes.

Corpus scriptorum ecclesiasticorum latinorum. Vol. LXVII. Ed. G. Weinberger. Vindobonae-Lipsiae 1934. s. 63.

*Ty, jenž věkověčným svým rozumem spravuješ vesmír,
tvůrce zemí i nebe, jenž od věků necháváš plynout
čas a všemu dáš pohyb, sám trváš však bez hnutí stále,
popud zvnějšku tě nedonutil, abys z plynoucí hmoty
vytvořil dílo: ty sám máš v sobě tvar dobra
nejvyššího, jsi závidí prost a vycházíš ve všem
ze vzoru shůry a svět, tak krásný, sám krásnější nad vše
nosiš v své mysli stále a utváříš k obrazu svému,
chceš, aby celek svou dokonalost svým předával částem.*

BOETHIUS. Poslední Říman. přel. V. Bahnik. Praha 1982. s. 97.

Cassiodorus, *Institutiones divinarum et humanarum litterarum*

Lib. 2, cap. 6, 1-2

1. ...Geometria latine dicitur terrae dimensio, quoniam per diversas formas ipsius disciplinae, ut nonnulli dicunt, primum Aegyptus dominis propriis fertur esse partitus; cuius disciplinae magistri mensores ante dicebantur. sed Varro, penitissimus Latinorum, huius nominis causam sic extitisse commemorat, dicens prius quidem dimensiones terrarum terminis positae vagantibus ac discordantibus populis pacis utilia praestitisse; deinde totius anni circulum menstruali numero fuisse partitum, unde et ipsi menses, quod annum metiantur, edicti sunt. verum postquam ista reperta sunt, provocati studiosi ad illa invisibilia cognoscenda coeperunt quaerere quanto spatio a terra luna, a luna sol ipse distaret, et usque ad verticem caeli quanta se mensura distenderet; quod peritissimos geometras assecutos esse commemorat. tunc et dimensionem universae terrae probabili refert ratione collectam; ideoque factum est ut disciplina ipsa Geometria nomen acciperet, quod per saecula longa custodit. unde Censorinus in libro quem scripsit ad Quintum Cerellium, spatia ipsa caeli terraeque ambitum per numerum stadiorum distincta curiositate descripsit; quem si quis recensere voluerit, multa philosophorum mysteria brevi lectione cognoscit.

2. Geometria vero est disciplina magnitudinis immobilis et formarum. geometria dividitur:
in planum
in magnitudinem numerabilem
in magnitudinem rationalem et irrationalem
in figuras solidas.

planarum figurarum sunt quae longitudine et latitudine continentur. numerabilis magnitudo est quae numeris arithmeticae dividi potest. magnitudines rationales et irrationales sunt - rationales quorum mensuram scire possumus, irrationales vero quorum mensurae quantitas cognita non habetur. figurae solidae sunt quae longitudine, latitudine et altitudine continentur.

XXX. De antiquariis et commemoratione orthographiae

Ego tamen fateor votum meum, quod inter vos quaecumque possunt corporeo labore compleri, antiquariorum mihi studia (si tamen veraciter scribant) non immerito forsitan plus placere; quod et mentem suam relegendo Scripturas divinas salubriter instruant et Domini praecepta scribendo longe lateque disseminent. Felix intentio, laudanda sedulitas, manu hominibus praedicare, digitis linguas aperire, salutem mortalibus tacitam dare, et contra diaboli subreptiones illicitas calamo atramentoque pugnare. Tot enim vulnera Satanas accipit quot antiquarius Domini verba describit. Uno itaque loco situs, operis sui disseminatione per diversas provincias vadit. In locis sanctis legitur labor ipsius: audiunt populi, unde se a prava voluntate convertant, et Domino pura mente deserviant. Operatur absens de opere suo...

...Sed ne tanto bono mutatis litteris scriptores verba vitiosa permisceant aut ineruditus emendator nesciat errata corrigere, orthographos antiquos legant, id est, Vellium Longum, Curtium Valerianum, Papyrianum, Adamantium Martyrium de V et B, ejusdem de primis, mediis atque ultimis syllabis, ejusdem de B littera trifariam in nomine posita, et Eutychen de aspiratione, sed et Focam de differentia generis. Quos ego, quantum potui, studiosa curiositate collegi.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 70, 1144-1145.

XLIII. Quid agendum a monachis qui artes in libro sequenti positas non intellegunt

Quapropter toto nisu, toto labore, totis desideriiis exquiramus ut ad tale tantumque munus, Domino largiente, pervenire mereamur. Hoc enim nobis est salutare, proficuum, gloriosum, perpetuum, quod nulla mors, nulla mobilitas, nulla possit separare oblivio; sed in illa suavitate patriae cum Domino faciet aeterna exultatione gaudere. Quod si alicui fratrum (ut meminit Vergilius) „Frigidus obstiterit circum praecordia sanguis“, ut nec humanis nec divinis litteris perfecte possit erudiri, aliqua tamen scientiae mediocritate suffultus, eligat certe quod sequitur: „Rura mihi et rigui placeant in vallibus amnes.“ Quia nec ipsum est a monachis alienum hortos colere, agros exercere, et pomorum fecunditate gratulari; legitur enim in psalmo centesimo vicesimo septimo: „Labores manuum tuarum manducabis; beatus es, et bene tibi erit.“

Quod si huius studii requirantur auctores, de hortis scripsit pulcherrime Gargilius Martialis, qui et nutrimenta holerum et virtutes eorum diligenter exposuit, ut ex illius commentarii lectione, praestante Domino, unusquisque et saturari valeat et sanari; quem vobis inter alios codices reliqui. Pari etiam modo in agris colendis, in apibus, in columbis, nec non et piscibus alendis inter ceteros Columella et Aemilianus auctores probabiles extiterunt. Sed Columella sedecim libris per diversas agriculturae species eloquens ac facundus illabatur, disertis potius quam imperitis accommodus, ut operis eius studiosi non solum communi fructu sed etiam gratissimis epulis expleantur. Aemilianus etiam facundissimus explanator duodecim libris

de hortis vel pecoribus aliisque rebus plenissima lucidatione disseruit; quem vobis inter alios lectitandum, Domino praestante, dereliqui.

Haec tamen cum peregrinis atque aegrotantibus praeparantur fiunt caelestia, quamvis videantur esse terrena. Quale est enim languentes aut dulcibus pomis reficere aut columbarum fetibus enutrire aut piscibus alere aut mellis suavitate mulcere? Nam cum vel aquam frigidam Dominus in nomine suo pauperibus praecipiat offerri quanto gratius erit diversis egentibus escas suavissimas dare, pro quibus in iudicio fructum multiplicata possitis mercede percipere. Non debet neglegi undecumque potest homini probabiliter subveniri.

XXVIII. De positione monasterii Vivariensis sive Castelliensis

Invitat siquidem vos locus Vivariensis monasterii ad multa peregrinis et egentibus praeparanda, quando habetis hortos inriguos et piscosi amnis Pellenae fluentia vicina; qui nec magnitudine undarum suspectus habetur nec exiguitate temnibilis. Influit vobis arte moderatus, ubicumque necessarius indicatur, et hortis vestris sufficiens et molinis. Adest enim cum desideratur et cum vota compleverit remotus abscedit, sic quodammodo ministerio devotus existens ut nec oneret importunus nec possit deesse cum quaeritur. Maria quoque vobis ita subiacent ut piscationibus variis pateant; et captus piscis, cum libuerit, vivariis possit includi. Fecimus enim illic, iuvante Domino, grata receptacula ubi sub claustro fideli vagetur piscium multitudo; ita consentanea montium speluncis ut nullatenus se sentiat captum, cui libertas est escas sumere et per solitas se cavernas abscondere. Balnea quoque, congruenter aegris praeparata corporibus, iussimus aedificari, ubi fontium perspicuitas decenter illabatur, quae et potui gratissima cognoscitur et lavacris. Ita fit ut monasterium vestrum potius quaeratur ab aliis quam vos extranea loca iuste desiderare possitis. Verum haec, ut scitis, oblectamenta sunt praesentium rerum, non spes futura fidelium; istud transiturum, illud sine fine est mansurum. Sed illic positi, ad illa potius desideria transferamus quae nos faciant regnare cum Christo.

Nam si vos in monasterio Vivariensi, sicut credere dignum est, divina gratia suffragante, coenobiorum consuetudo competenter erudiat et aliquid sublimius defaecatis animis optare contingat, habetis montis Castelli secreta suavia ubi velut anachoritae, praestante Domino, feliciter esse possitis. Sunt enim remota et imitantia heremi loca quando muris pristinis ambientibus probantur inclusa. Quapropter vobis aptum erit eligere, exercitatis iam atque probatissimis, illud habitaculum, si prius in corde vestro fuerit praeparatus ascensus. Legendo enim cognoscitis unum de duobus, quid aut desiderare aut tolerare possitis. Tantum est ut, conversationis probitate servata, qui non valet alios sermonibus docere, morum videlicet instruat sanctitate.

(BEESON, Charles H. A Primer of Medieval Latin. Chicago-Atlanta-NY 1925. s. 108-110.)

Benedictus de Nursia, Regula, Caput XXXIX, De mensura ciborum

1 Sufficere credimus ad refectionem cotidianam tam sextae quam nonae, omnibus mensis, cocta duo pulmentaria, propter diversorum infirmitatibus, **2** ut forte qui ex illo non potuerit edere ex alio reficiatur. **3** Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant et, si fuerit unde poma aut nascentia leguminum, addatur et tertium. **4** Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio sive prandii et cenae: **5** quod si cenaturi sunt, de eadem libra tertia pars a cellarario servetur reddenda cenandis. **6** Quod si labor forte factus fuerit maior, in arbitrio et potestate abbatis erit, si expediat, aliquid augere, **7** remota prae omnibus crapula et ut numquam surripiat monacho indigeries, **8** quia nihil sic contrarium est omni christiano quomodo crapula, **9** sicut ait Dominus noster: *Videte ne graventur corda vestra crapula.* **10** Pueris vero minori aetate non eadem servetur quantitas, sed minor quam maioribus, servata

in omnibus parcitate. **11** Carnium vero quadrupedum omnimodo ab omnibus abstinenceur comestio, praeter omnino debiles aegrotos.

Regula Benedicti (Řehole Benediktova), Benedikt z Nursie, vyd. Benediktinské arciepiškopství Praha 1998

Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV.*

Fuit uir uitae
uenerabilis, gratia
benedictus et nomine
ab ipso pueritiae suae
tempore cor gerens
senile.

Aetatem quippe moribus transiens nulli animum uoluptati dedit, sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporaliter libere uti potuisset, despexit iam quasi aridum mundum cum flore.

Qui liberiori genere ex prouincia Nursiae exortus, Romae liberalibus litterarum studiis traditus fuerat,

sed cum in eis multos ire per abrupta uitiorum cerneret, eum, quem quasi in ingressum mundi posuerat, retraxit pedem, ne, si quid de scientia eius adtingeret, ipse quoque postmodum in inmane praecipitium totus iret.

Despectis itaque litterarum studiis relicta domo rebusque patris, soli Deo placere desiderans sanctae conuersationis habitum quaesiuit.

Recessit igitur scienter nescius et sapienter indoctus.

Huius ego omnia gesta non didici, sed pauca quae narro quatuor discipulis illius referentibus agnoui, Constantino scilicet, reuerentissimo ualde uiro, qui ei in monasterii regimine successit, Valentiniano quoque, qui multis annis Lateranensi monasterio praefuit, Simplicio, qui congregationem illius post eum tertius rexit, Honorato etiam, qui nunc adhuc cellae eius, in qua prius conuersatus fuerat, praeest.

Hic itaque cum iam relictis litterarum studiis petere deserta decreuisset, nutrix, quae hunc arctius amabat, sola secuta est.

Cumque ad locum uenissent, qui Effide dicitur, multisque honestioribus uiris caritate se illic detinentibus in beati Petri ecclesia demorarentur, praedicta nutrix illius ad purgandum triticum a uicinis mulieribus praestari sibi capisterium petiit, quod super mensam incaute derelictum casu accidente fractum est sicque ut in duabus partibus inueniretur diuisum.

Quod mox ut rediens
nutrix illius inuenit,
uehementissime flere
coepit, quia uas, quod
praestitum acceperat,
fractum uidebat,

Benedictus autem religiosus et pius puer cum nutricem suam flere conspiceret, eius dolori compassus ablatis secum utrisque fracti capisterii partibus sese cum lacrimis in orationem dedit.

Mox autem nutricem suam blande consolatus ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat.

Quae res in loco eodem a cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, ut hoc ipsum capisterium eius loci incolae in ecclesiae ingressu suspenderent, quatenus et praesentes et secuturi omnes agnoscerent, Benedictus puer conuersionis gratiam a quanta perfectione coepisset,

quod annis multis illic ante oculos omnium fuit et usque ad haec Langobardorum tempora super fores ecclesiae pependit.

Sed Benedictus, plus appetens mala mundi perpeti quam laudes pro Deo laboribus fatigari quam uitae huius fauoribus extolli nutricem suam occulte fugiens deserti loci secessum petiit, cui Sublacus uocabulum est, qui a Romana urbe quadraginta fere millibus distans frigidus atque perspicuas emanat aquas.

Quo dum fugiens pergeret, monachus quidam, Romanus nomine, hunc euntem repperit, et, quo tenderet, requisiiit.

Cuius cum desiderium cognouisset, et secretum tenuit et adiutorium inpendit, eique sanctae conuersionis habitum tradidit, et in quantum licuit, ministravit.

Vir autem dei ad eundem locum perueniens, in arcissimo specu se tradidit, tribusque annis excepto Romano monacho hominibus incognitus mansit.

Cooperunt postmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius

magisterium festinare.

Liber quippe a temptationis uitio, iure iam factus est uirtutum magister.

(z databáze Liierae, CTE Brepols)

Venantius Fortunatus, *In honore sanctae Crucis*

- Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Quo carne carnis conditor
Suspensus est patibulo.
- 5 Confixa clavis viscera,
Tendens manus, vestigia,
Redemptionis gratia
Hic immolata est hostia.
- 10 Quo vulneratus insuper
Mucrone dirae lanceae,
Ut nos lavaret crimine,
Manavit unda et sanguine.
- 15 Impleta sunt, quae concinit
David fideli carmine
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
- 20 Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite
Tam sancta membra tangere,
- Beata, cuius brachiis
Pretium pependit saeculi,
Statera facta est corporis
Praedam tulitque tartari.
- 25 Fundis aroma cortice,
Vincis sapore nectare,
Iucunda fructu fertili
Plaudis triumpho nobili.
- 30 Salve, ara, salve victima
De passionis gloria,
Qua vita mortem pertulit
Et morte vitam reddidit.

Anal. hymn. L,74

Gregorii Turonensis *Historia Francorum*

II, c. 29

29. Igitur ex Chrochthilde
regina habuit
(Chlodovechus) filium
primogenitum.

Quem cum mulier baptismo consecrare vellit, praedicabat assidue viro, dicens: 'Nihil sunt dii quos colitis, qui neque sibi neque aliis potuerunt subvenire.

Sunt enim aut ex lapide aut ex ligno aut ex metallo aliquo sculpti.

Nomina vero quae eis indedistis homines fuere, non dii, ut Saturnus, qui a filio ne a regno depelleretur, per fugam elapsus adseritur, ut ipse Iovis omnium stuprorum spurcissimus perpetratur, incestatur virorum, propinquarem derisor, qui nec ab ipsius sororis propriae potuit abstinere concubitum, ut ipsa ait: Iovis que et soror et coniux.

Quid Mars Mercurius que potuere? Qui potius sunt magicis artibus praediti, quam divini nominis potentiam habuere.

Sed ille magis coli debet, qui caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt verbo ex non extantibus procreavit, qui solem lucere fecit et caelum stillis ornavit, qui aquas reptilibus, terras animantibus, aera volatilibus adimplivit, cuius nutu terrae frugibus, pomis arbores, uvis vineae decorantur, cuius manu genus humanum creatum est, cuius largitione ipsa illa creatura omnes homini suo, quem creavit, et obsequio et beneficio famulatur'.

Sed cum haec regina dicerit, nullatenus ad credendum regis animus movebatur, sed dicebat: 'Deorum nostrorum iussione cuncta creantur ac prudeunt, Deus vero vester nihil posse manifestatur, et quod magis est, nec de deorum genere esse probatur'.

Interea regina fidelis filium ad baptismum exhibet, adornare ecclesiam velis praecipit atque curtinis, quo facilius vel hoc misterio provocaretur ad credendum, qui flecti praedicationem non poterat.

Baptizatus autem puer, quem Ingomerem vocitaverunt, in ipsis, sicut regeneratus fuerat, albis obiit.

Qua de causa commotus felle rex, non signiter increpabat regina, dicens: 'Si in nomine deorum meorum puer fuisset decatus, vixisset utique; nunc autem, quia in nomine Dei vestri baptizatus est, vivere omnino non potuit'.

Ad haec regina: 'Deo', inquit, 'omnipotenti, creatori omnium, gratias ago, qui me non

usquequaque iudicavit indigna, ut de utero meo genitum regno suo dignaretur adscire.

Mihi autem dolore huius causae animus non attingitur, quia scio, in albis ab hoc mundo vocatus Dei obtutibus nutriendus'.

Post hunc vero genuit alium filium, quem baptizatum Chlodomere vocavit; et hic cum egrotare coepisset, dicebat rex: 'Non potest aliud, nisi et de hoc sicut et de fratre eius contingat, ut baptizatus in nomine Christi vestri protinus moriatur'.

Sed orante matre, Domino iubente convaluit.

30. Regina vero non cessabat praedicare, ut Deum verum cognusceret et idola neglegerit.

Sed nullo modo ad haec credenda poterat commoveri, donec tandem aliquando bellum contra Alamannos commoveretur, in quo compulsus est confiteri necessitate, quod prius voluntate negaverat.

CTE, Brepols, z databáze Litterae

Fredegarii Scholastici ut dicitur *Chronicorum libri IV*

II,4 De captivitate Troge et inicium Francorum et Romanorum

In illo tempore Priamus Helenam rapuit. Troianum bellum decennale surrexit causa mali, quod trium mulierum de pulchritudinem certantium praemium fuit, una earum Helena pastore iudice pollicente.

Memnon, Amazones Priamo tolere subsidium. Exinde origo Francorum fuit. Priamo primo regi habuerunt; postea per historiarum libros scriptum est, qualiter habuerunt regi Friga. Postea partiti sunt in duabus partibus.

II,6 De initium docum Francorum

Ibique mortuo Francione, cum iam per proelia tanta que gesserat parva ex ipsis manus remanserat, duces ex se constituerunt. Attamen semper alterius ditione negantes, multo post tempore cum ducibus transaegerunt usque ad tempore Pompegi consolis, qui et cum ipsis demicans seo et cum reliquis gentium nationes, quae in Germania habitabant, totasque ditione subdidit Romanam. Sed continuo Franci cum Saxonibus amicitias inientes, adversus Pompegium revellantis, eiusdem rennuerunt potestatem. Pompegius in Spaniam contra gentes demicans plurimas, moretur. Post haec nulla gens usque in presentem diem Francos potuit superare, qui tamen eos suae ditione potuisset subiugare. Ad ipsum instar et Macedonis, qui ex eadem generatione fuerunt, quamvis gravia bella fuissent adtrite, tamen semper liberi ab externa dominatione vivere conati sunt.

Tercia ex eadem origine gentem Torcorum fuisse fama confirmat, ut, cum Franci Asiam pervacantis pluribus proeliis transissent, ingredientis Eurupam, super litore Danuviae fluminis inter Ocianum et Traciam una ex eis ibidem pars resedit. Electum a se utique regem nomen Torquoto, per quod gens Turquorum nomen accepit. Franci huius aeteneris gressum cum uxores et liberes agebant, nec erat gens, qui eis in proelium potuisset resistere. Sed dum plurima egerunt proelia, quando ad Renum consederunt, dum a Turquoto menuati sunt, parva ex eis manus aderat. A captivitate Troge usque ad primam olimpiadem fiunt anni 406.

II,8 De captivitate Troge et egressionem exinde Priamo et Friga, unde Romani et Franci fuerunt

In illo tempore Tautanus regnabat in Assirius. Tunc Troia capta est. In Ebreis Lepdon iudex erat, et in Aegypto dinastia rex erat. Primus rex Latinorum tunc in ipso tempore surrexit, eo quod a Troia fugaciter exierant, et ex ipso genere et Frigas: fuerunt, nisi per ipsa captivitate Troiae et inundatione Assiriorum et eorum persecutione, in duas partes egressi et ipsa civitate et regione. Unum exinde regnum Latinorum ereguntur et alium Frigorum. Post tercio anno capta Troia Latini, qui postea Romani nuncupati sunt, et, ut quidam volunt, post octavo anno regnavit Aeneas. Aeneas et Frigas fertur germani fuissent.

II,9 De inicium regis Romanorum

Aeneas in Latinis regna. ann. 3 et Frigas in Frigia. Ante Aenea et Friga ann v, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, per quem Latini vocati sunt, et in Aetalia regnaverunt annis circeter 150. Roleta. Scribit Palefatus in incredibilium libro primo, Serenas quoque fuisse meretrices, quae deceperint navigantes. Post Aeneam Ascanis ann. 38. Ascanius, derelicto novercae suae regno, Latinis Albam Longam condedit et Silvium Postumum fratrem suum, Aenei ex Clavinia filium, summa piaetate edocavit. Amazones in illo tempore Aetesi templum incenderunt. Ascanius Iulium filium procreavit, a quo familia Iuliorum orta, et propter aetatem parvuli, quia necdum regendis civebus edoneos erat, Silvium Postumum, fratrem suum, regni reliquit heredem. In illo tempore, mortuo Heli sacerdote Aebreorum, Samuhel prophetabat; et Saul regnavit ann. 40. In illo tempore Silvius Latinorum rex, Aenei filius, a quo omnes Albanorum rege Silviae vocati sunt. Aebreorum rex primus ex tribu Iuda David ann. 40. Aebreorum tunc pontifex Habiatar clarus habitur. Latinis Silvius regnavit ann. 50. Aebreorum, filius David, Salomon regnavit ann. 40. Salomon templum in Hierusolimis aedificare coepit, consummavit eum ann. 7.

III,2 De Francorum origine et eorum regibus

De Francorum vero regibus beatus Hieronimus, qui iam olim fuerant, scripsit, quod prius Virgilii poetae narrat storia: Priamum primum habuisse regi; cum Troia fraude Olexe caperetur, exinde fuissent egressi; postea Frigam habuissent regem; befaria divisione partem eorum Macedonia fuisse adgressa; alii cum Friga vocati Frigiis, Asiam pervacantes, litoris Danuvii fluminis et mare Ocianum consedissee; dinuo byfaria devisione Eurupam media ex ipsis pars cum Francionem eorum rege ingressa fuisse.

III,9 De initium dinuo regis Francorum

Franci electum a se regi, sicut prius fuerat, crinitum, inquirentes diligenter, ex genere Priami, Frigi et Francionis super se creant nomen Theudaemarem, filium Richemeris, qui in hoc prilio, eo supra memini, a Romanis interfectus est.

IV,48

Anno 40. regni Chlothariae homo nomen Samo natione Francos de pago Senonago plures secum negutiantes advovit, exercendum negucium in Sclavos coinomento Winedos perrexit. Sclavi iam contra Avaris coinomento Chunis et regem eorum gagano ceperant revellare. Winidi befulci Chunis fuerant iam ab antiquito, ut, cum Chuni in exercitu contra gentem qualibet adgrediebant, Chuni pro castra adunatum illorum stabant exercitum, Winidi vero pugnabant: si ad vincendum prevalebant, tunc Chuni predas capiendum adgrediebant; sin autem Winidi superabantur, Chunorum auxilio fulti virebus resumebant. Ideo befulci vocabantur a Chunis, eo quod dublicem in congressione certamine vestila priliae facientes, ante Chunis prederint. Chuni aemandum annis singulis in Esclavos veniebant, uxores Sclavorum et filias eorum strato sumebant; tributa super alias oppressiones Sclavi Chunis solvebant. Filii Chunorum, quos in uxores Winodorum et filias generaverant, tandem non subferentes maliciam ferre et oppressione, Chunorum dominatione negantes, ut supra memine, ceperant revellare. Cum in exercitu Winidi contra Chunos fuissent adgressi, Samo negucians, quo memoravi superius, cum ipsos in exercitu perrexit; ibique tanta ei fuit utilitas de Chunis facta, ut mirum fuisset, et nimia multitudo ex eis gladio Winidorum trucidata fuisset. Winidi cernentes utilitatem Samones, eum super se eligunt regem, ubi 30 et 5 annos regnavit feliciter, Plures priliae contra Chunis suo regimini Winidi iniaerunt; suo consilio et utilitate Winidi semper Chunos superant. Samo 12 uxores ex genere Winodorum habebat, de quibus 22 filius et quindecim filias habuit.

*Monumenta Germaniae Historica. Scriptores rerum Merovingicarum II. Ed. B. Krusch.
s. 45-47, 93, 94-5, 144-145.*

Visio Baronti

IN NOMINE DOMINI INCIPIT REVELATIO BEATI BARONTI MONACHI.

1. Memorare vobis volo, fratres karissimi, per ordinem, quid moderno tempore contigit in monasterio sancti Petri apostoli, qui nuncupatur Longoretus nomen. Frater quidam nobilis progeniae, Barontus nomen, nuper conversus pervenit ad monachatus ordinem. Qui cum matutinis laudibus Deo reddidisset in ecclesia cum fratribus devote, mox ut ad lectum suum rediit, repente febre correbtus, ad extremum funere deductus, coepit magnis doloribus exagitare filiumque suum nomine Aglioaldo vocare, ut cum summa festinatione ad Eodonem diaconem deberet ambulare, et eum pro fraterno amore veniret visitare...

2. ...Aecontra fratres, ut viderunt, cum tremore magno gratias Deo agere coeperunt, qui sic suum servum reddidisset vivum in corpore, quem iam nullus sperabat audire loqui.

3. Tunc omnes congregati in unum, interrogaverunt illum per ordinem, ubi fuisset vel quid vidisset, eis per singula exponeret. Ille vero quasi ex gravi somno evigilans dixit: 'Quando me vidistis externa nocte matutinis laudibus Christi vobiscum incolomem consumasse, mox ut ad proprium stratum sum reversus, tunc subito somno gravatus obdormivi. Sed statim in ipso sopore venerunt duo tetri daemones, quorum aspectum tremebundus ferre non poteram, qui me strangulare violenter coeperunt, cupientes me efferatis dentibus degluttire, et sic ad infernum deducerent...

4. ...Sanctus Rafahel pugnabat pro animam meam elevare ad caelum sursum et daemones cupiebant semper praecipitare deorsum...

8. ...Et sic postea post secunda pugna peracta venimus primam portam paradysi, ubi plures vidimus ex fratribus monasterii nostri, qui erant congregati, praestolantes diem iudicii, ubi gaudia aeterna plenissimam recipiant....

9. ...Et nos statim ut ingressi sumus infra ipsa porta per medium sanctorum illorum, vidimus semitam parvulam praeparatam, per quam coepimus iter carpere per semitam usque ad alia porta. Sed tanta erat multitudo virginum in utraque partem ad dexteram et levam, quo pervidere nullus hominum praeter Deum poterat. Qui nos ut viderunt, pari voce clamare coeperunt: 'Anima vadit ad iudicium.' Et nunc iterum repetunt: 'Tu vince, bellator Christe, tu vince, et non diabolus ipsam ducat in tartarum!'

10. Deinde venimus ad tertiam portam paradysi, et ipsa porta habebat similitudinem vitri.... Ibi et multitudo sacerdotum, excelsi meritorum, quorum mansiones laterculis aureis erant aedificatae, iuxta quod et sanctus Gregorius in Dialicorum memorat.

Monumenta Germaniae Historica. Scriptores rerum Merovingicarum V. Ed. B. Krusch, W. Levison. s. 377-85.

Martinus de Braga, *Epistola de correctione rusticorum*

Domino beatissimo ac mihi desiderantissimo in Christo fratri Polemio episcopo Martinus episcopus.

[1] Epistolam tuae sanctae caritatis accepi, in qua scribis ad me ut pro castigatione rusticorum, qui adhuc pristina paganorum superstitione detenti cultum venerationis plus daemoniis quam deo persolvunt, aliqua de origine idolorum et sceleribus ipsorum vel pauca de multis ad te scripta dirigerem. Sed quia oportet ab initio mundi vel modicam illis rationis notitiam quasi pro gustu porrigere, necesse me fuit ingentem praeteritorum temporum gestorumque silvam breviato tenuis compendii sermone contingere et cibum rusticis rustico sermone condire.

...

[6] Post diluvium iterum recuperatum est genus humanum per tres filios Noe, reservatos cum uxoribus suis. Et cum coepisset multitudo subcrescens mundum implere, obliviscentes iterum homines creatorem mundi deum, coeperunt, dimisso creatore, colere creaturas. Alii adorabant solem, alii lunam vel stellas, alii ignem, alii aquam profundam vel fontes aquarum, credentes haec omnia non a deo esse facta ad usum hominum, sed ipsa ex se orta deos esse.

[7] Tunc diabolus vel ministri ipsius, daemones, qui de caelo deiecti sunt, videntes ignaros homines dimisso Deo creatore suo, per creaturas errare, coeperunt se illis in diversas formas ostendere et loqui cum eis et expetere ab eis, ut in excelsis montibus et in silvis frondosis sacrificia sibi offerrent et ipsos colerent pro deo, imponentes sibi vocabula sceleratorum hominum, qui in omnibus criminibus et sceleribus suam egerant vitam, ut alius Iovem se esse diceret, qui fuerat magus et in tantis adulteriis incestus ut sororem suam haberet uxorem, quae dicta est Iuno, Minervam et Venerem filias suas corruperit, neptes quoque et omnem parentelam suam turpiter incestaverit. Alius autem daemon Martem se nominavit, qui fuit litigiorum et discordiae commissor. Alius deinde daemon Mercurium se appellare voluit, qui fuit omnis furti et fraudis dolosus inventor; cui homines cupidi quasi deo lucrui, in quadriviis transeuntes, iactatis lapidibus acervos petrarum pro sacrificio reddunt. Alius quoque daemon Saturni sibi nomen adscripsit, qui, in omni crudelitate vivens, etiam nascentes suos filios devorabat. Alius etiam daemon Venerem se esse confinxit, quae fuit mulier meretrix. Non solum cum innumerabilibus adulteris, sed etiam cum patre suo Iove et cum fratre suo Marte meretricata est.

[8] Ecce quales fuerunt illo tempore isti perditii homines, quos ignorantes rustici per adinventiones suas pessime honorabant, quorum vocabula ideo sibi daemones adposuerunt, ut ipsos quasi deos colerent et sacrificia illis offerrent et ipsorum facta imitarentur, quorum nomina invocabant. Suaserunt etiam illis daemones ut templa illis facerent et imagines vel statuas sceleratorum hominum ibi ponerent et aras illis constituerent, in quibus non solum animalium sed etiam hominum sanguinem illis funderent....

Isidor Hispalensis, *Etymologiarum sive Originum libri XX*

I,2 De septem liberalibus disciplinis

Disciplinae liberalium artium septem sunt. Prima grammatica, id est loquendi peritia. Secunda rhetorica, quae propter nitorem et copiam eloquentiae suae maxime in ciuilibus quaestionibus necessaria existimatur. Tertia dialectica cognomento logica, quae disputationibus subtilissimis uera secernit a falsis. Quarta arithmetica, quae continet numerorum causas et diuisiones. Quinta musica, quae in carminibus cantibusque consistit. Sexta geometrica, quae mensuras terrae dimensionesque complectitur. Septima astronomia, quae continet legem astrorum.

VIII,7 De poetis

Poetae unde sint dicti, sic ait Tranquillus... Vates a vi mentis appellatos Varro auctor est; vel a viendis carminibus, id est flectendis, hoc est modulandis: et proinde poetae Latine vates olim, scripta eorum vaticinia dicebantur, quod vi quadam et quasi vesania in scribendo commoverentur; vel quod modis verba connecterent, viere antiquis pro vincere potentibus. Etiam per furorem divini eodem erant nomine, quia et ipsi quoque pleraque versibus efferebant.

Etymologiarum sive Originum Libri XX. Tomus I. Ed. W. M. Lindsay. Oxonii 1911.

IV,1. De medicina.

[1] Medicina est quae corporis vel tuetur vel restaurat salutem: cuius materia versatur in morbis et vulneribus. [2] Ad hanc itaque pertinent non ea tantum quae ars eorum exhibet, qui proprie Medici nominantur, sed etiam cibus et potus, tegmen et tegumen. Defensio denique omnis atque munitio, qua [sanum] nostrum corpus adversus externos ictus casusque servatur.

IV,5. De quattuor humoribus corporis.

[1] Sanitas est integritas corporis et temperantia naturae ex calido et humido, quod est sanguis; unde et sanitas dicta est, quasi sanguinis status. [2] Morbi generali vocabulo omnes passionis corporis continentur; quod inde veteres morbum nominaverunt, ut ipsa appellatione mortis vim, quae ex eo nascitur, demonstrarent. Inter sanitatem autem et morbum media est curatio, quae nisi morbo congruat, non perducit ad sanitatem. [3] Morbi omnes ex quattuor nascuntur humoribus, id est ex sanguine et felle, melancholia et phlegmate. [Ex ipsis enim reguntur sani, ex ipsis laeduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum naturae creverint, aegritudines faciunt.] Sicut autem quattuor sunt elementa, sic et quattuor humores, et unusquisque humor suum elementum imitatur: sanguis aerem, cholera ignem, melancholia terram, phlegma aquam. Et sunt quattuor humores, sicut quattuor elementa, quae conservant corpora nostra. [4] Sanguis ex Graeca etymologia vocabulum sumpsit, quod vegetetur et sustentetur et vivat. Choleram Graeci vocaverunt, quod unius diei spatio

terminetur; unde et cholera, id est fellicula, nominata est, hoc est, fellis effusio. Graeci enim fel colhn dicunt. [5] Melancholia dicta eo quod sit ex nigri sanguinis faece admixta abundantia fellis. Graeci enim melan nigrum vocant, fel autem colhn appellant. [6] Sanguis Latine vocatus quod suavis sit, unde et homines, quibus dominatur sanguis, dulces et blandi sunt. [7] Phlegma autem dixerunt quod sit frigida. Graeci enim rigorem flegmonhn appellant. Ex his quattuor humoribus reguntur sani, ex ipsis laeduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum naturae creverint, aegritudines faciunt. Ex sanguine autem et felle acutae passiones nascuntur, quas Graeci oxea vocant. Ex phlegmate vero et melancholia veteres causae procedunt, quas Graeci cronia dicunt.

S. Eugenii episcopi Toletani *Opusculorum pars prima. Miscellanea*

XXIII. Ad Joannem

O JO versiculos nexos quia despicias ANNES,
 Excipe DI solers si nosti iungere VISOS.
 Cerne CA pascentes dumoso in littore MELOS,
 Et POR triticea verrentes germina CELLOS.
 5 AR sitibunda petunt lympharum pocula MENTA
 Atque BV glandiferae recubant sub tegmine BVLCI,
 Nunc PAS lanigeras ducunt ad pascua TORES,
 Et FOE consumunt fraudantes munera TURAE.
 PRO tibi ut nostro veniat ex carmine FECTUS,
 10 Instar Lucilii cogor disrumpere versus.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 87,366.

XXX. Versus de aestate

Dura quod gignit et amara cunctis,
 Tempus aestivum resonare cogor,
 Sapphico tristi modulante versu,
 Omnia passus.
 5 Nunc polus Phoebi nimio calore
 Aestibus flagrat, fluviosque siccat,
 Intonat tristis, jaculansque vibrat
 Fulmina dira.
 Ingruit imber inimicus arvis,
 10 Flore nam suevit spoliare vites:
 Spem quoque frugum populat nivosis
 Grando lapillis.
 Bufo nunc turget, et amica silvis
 Vipera laedit, gelidusque serpens,
 15 Scorpius ictu jugulat, paritque
 Stellio pestem.
 Musca nunc saevit, piceaque blatta,
 Et culex mordax, olidusque cimex,
 Suetus in nocte vigilare pulex
 20 Corpora pungit.

Tollat haec monstra Deus imprecanti.
Pelle languorem, tribue quietem,
Ut queam gratas placido sopore
Carpere noctes.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 87,368.

S. Eugenii episcopi Toletani *Opusculorum pars secunda. Sequuntur Miscellanea*

VIII. Item carmen Philomelaicum

Vox, philomela, tua cantus edicere cogit:
Inde tui laudem rustica lingua canit.
Vox, philomela, tua citharas in carmine vincit
Et superat miris musica flabra modis.
5 Vox, philomela, tua curarum semina pellit,
Recreat et blandis anxia corda sonis.
Florea rura colis, herboso caespite gaudes;
Frondebis arboreis pignora parva foves.
10 Cantibus ecce tuis recrepant arbusta canoris,
Consonat ipsa suis frondea silua comis.
Iudice me cygnus et garrula cedat hirundo,
Cedat et illustri psittacus ore tibi.
Nulla tuos umquam cantus imitabitur ales,
Murmure namque tuo dulcia mella fluunt.
15 Dic ergo tremulos lingua uibrante susurros
Et suaui liquidum gutture pange melos.
Porrige dulcisonas attentis auribus escas;
Nolo tacere uelis, nolo tacere uelis.
20 Gloria summa tibi, laus et benedictio, Christe,
Qui praestas famulis haec bona grata tuis.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 87, 390.

Columba (Colum Cille), *Altus prostrator*

I.

Altus prosator, vetustus
Dierum et ingenitus
Erat absque origine
Primordii et crepidine,
5 Est et erit in saecula
Saeculorum infinita;
Cui est unigenitus
Christus et sanctus spiritus
Coaeternus in gloria
10 Deitatis perpetua.
Non tres deos depromimus,
Sed unum Deum dicimus
Salva fide in personis
Tribus gloriosissimis.

23.

Zelus ignis furibundos
Consumet adversarios
270 Nolentes Christum credere
Deo a patre venisse.
Nos vero evolabimus
Obviam ei protinus
Et sic cum ipso erimus
275 In diversis ordinibus
Dignitatum pro meritis
Praemiorum perpetuis
Permansuri in gloria
A saeculis in saecula.

Anal. hymn. LI, 275, 278.

Columba, Liber hymnorum

Sancte sator suffragator,
Legum lator, largus dator,
Iure pollens, es qui potens,
Nunc in aethra firma petra.

Anal. hymn. LI, 299.

Columba, Versiculi familiae Benchuir (chvála kláštera)

2.
Navis nunquam turbata,
Quamvis fluctibus tona,
Nuptiis quoque parata
Regi Domino sponsa.

3.
Domus deliciis plena,
Super petram constructa,
Necnon vinea vera,
Ex Aegypto transducta.

4.
Certe civitas firma,
Fortis atque munita,
Gloriosa ac digna,
Supra montem posita.

Anal. hymn. LI, 356.

Hisperica famina

Popis svítání z Lex diei (třetí část Hisp. fam.)

Titaneus Olimiphiuminflat Arotus (tj. „hvězda“) tabularum,
Thalasicum illustrat vapore flustrum,

Flammivomo secat polum corusco supernum,
Almi scandit camaram firmamenti.

Adelphus adelpha

Adelphus adelpha
Adelphus adelpha meter
Alle pilus hius tegater
Dedronte tonaliter.

Blebomen agialus
Nicate dodrantibus
Sic mundi vita huius.

(Další strofy i s nm překladem má Kusch, str. 28)

Jonas, Vita Columbani

17. De prohibita ursi esca et copia frumenti horreo aucta et panum multiplicationem.

Eodemque in tempore actum est, ut per densa saltus vipurna fructicum solitudinis amator, quae propter Fredemungiacas calmen erat, vir Dei ambularet, repperitque cadaver cervi, quem luporum feritas peremerat, ursum devorare velle, cuius iam sanguinem lambens exiguam carnis partem voravisset. Ad quem vir Dei accessit, increpans, ne corium, quod ad usus calciamentorum necessarium erat, lederet. Tunc bestia, oblita ferocitate, mitis esse coepit, et contra naturam absque murmure blandiens atque colla submittens, cadaver reliquit. Quod vir Dei ad fratres rediens indicavit, in eo loco ut irent et e cervi cadaver corium avellerint. Abeuntes ergo fratres, repperiunt undique rapacium alitum procul multitudinem abesse nec cadaver supra viri Dei interdictum accedere audere, diuque expectantes a longe, si vel fera vel avis audaci conatu prohibitaescae urgueretur praedam capere, conspiciunt ad odorem cadaveris adventare, et procul adstantes, acsi mortiferum aliquid ac letale deviare et celeri fuga omittere.

Monumenta Germaniae Historica. Scriptores rerum Merovingicarum IV. Ed. B. Krusch. s. 83.

Aldhelm z Canterbury, Epistula ad Acircium

1. (XII.) Terra

Altrix cunctorum, quos mundus gestat, in orbe
Nuncupor (et merito, quia numquam pignora tantum
Improba sic lacerant maternas dente papillas),
Prole virens aestate, tabescens tempore brumae.

*Já žívím všechny lidi, kde kteří na světě žijí,
živnou mne nazývají, a právem, vždyť nevděčné děti
jinde mateřská ňadra tak neplení, jak mně se to děje.
Bohatá potomstvem v létě, a v zimě jsem ochablá celá.*

2. (XIII.) Ventus

Cernere me nulli possunt nec prendere palmis,
Argutum vocis crepitum cito pando per orbem.

Viribus horrisonis valeo confringere quercus;
Nam superos ego pulso polos et rura peragro.

*Nikdo mne nemůže spatřit, tím méně zachytit rukou.
Po celém světě náhle a prudce já hlasem svým zvučím.
Svoji děsivou silou dub nalomím, to je mi hračkou,
Umím dosáhnout nebes, i dole se proháním polem.*

99. (CL) *Camellus*

Consul eram quondam, Romanus miles equester
Arbiter imperio dum regni scepra regebat;
Nunc onus horrendum reportant corpora gippi
Et premit immensum truculentae sarcina molis.
Terreo cornipedum nunc velox agmen equorum,
Qui trepido fugiunt mox quadripedante meatu,
dum trucis aspectant immensos corporis artus.

Monumenta Germaniae Historica. Auctores antiquissimi. Ed. R. Ehwald. s. 99-100, 145.

Beda Venerabilis, *Historia ecclesiastica gentis Anglorum*

II,1

Nec silentio praetereunda opinio, quae de beato Gregorio traditione majorum ad nos usque perlata est... Dicunt, quia die quadam cum advenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent conlata, multique ad emendum confluisissent, et ipsum Gregorium inter alios advenisse, ac vidisse inter alia pueros venales positos, candidi corporis ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cum aspiceret, interrogavit, ut aiunt, de qua regione vel terra essent adlati. Dictumque est quod de Britannia insula, cujus incolae talis essent aspectus. Rursus interrogavit utrum iidem insulani Christiani an paganis adhuc erroribus essent implicati. Dictumque est quod essent pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria: „Heu, proh dolor!“ inquit, „quod tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor possidet tantaque gratia frontispicii mentem ab interna gratia vacuum gestat!“ Rursus ergo interrogavit, quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est, quod Angli vocarentur. At ille: „Bene,“ inquit, „nam et angelicam habent faciem et tales angelorum in caelis decet esse coheredes. Quod habet nomen ipsa provincia, de qua isti sunt adlati?“ Responsum est, quod *Deiri* vocarentur iidem provinciales. At ille: „Bene,“ inquit, „Deiri, de ira eruti, et ad misericordiam Christi vocati. Rex provinciae illius quomodo appellatur?“ Responsum est, quod *Aella* diceretur. At ille adludens ad nomen ait: „*Alleluia*, laudem Dei Creatoris illis in partibus oportet cantari.“

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 95,80-81.

V,12

(Visio Drycthelmi)

His temporibus miraculum memorabile, et antiquorum simile in Britannia factum est. Namque ad excitationem viventium de morte animae, quidam aliquandiu mortuus ad vitam resurrexit corporis, et multa memoratu digna quae viderat, narravit; e quibus hic aliqua breviter perstringenda esse putavi. Erat ergo paterfamilias in regione Nordanhymbrorum quae vocatur Incuneningum, religiosam cum domo sua gerens vitam; qui infirmitate corporis tactus, et hac

crescente per dies ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus est; sed diluculo reviviscens ac repente residens, omnes qui corpori flentes assederant, timore immenso percultos in fugam convertit: uxor tantum quae amplius amabat, quamvis multum tremens et pavida, remansit: quam ille consolatus: «Noli, inquit, timere, quia jam vere resurrexi a morte qua tenebar, et apud homines sum iterum vivere permissus; non tamen ea mihi qua ante consueveram conversatione, sed multum dissimili ex hoc tempore vivendum est.» Statimque surgens abiit ad villulae oratorium, et usque ad diem in oratione persistens, mox omnem quam possederat substantiam in tres divisit portiones, e quibus unam conjugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibi ipse retentans, statim pauperibus distribuit. Nec multo post saeculi curis absolutus ad monasterium Mailros, quod Tuidi fluminis circumflexu maxima ex parte clauditur, pervenit; acceptaque tonsura, locum secretae mansionis quam praeviderat abbas, intravit: et ibi usque ad diem mortis in tanta mentis et corporis contritione duravit, ut multa illum, quae alios laterent, vel horrenda, vel desideranda vidisse, etiamsi lingua sileret, vita loqueretur.

Narrabat autem hoc modo quod viderat: «Lucidus, inquiens, aspectu, et clarus erat indumento qui me ducebat. Incedebamus autem tacentes, ut videbatur mihi, contra ortum solis solstitialem; cumque ambularem, devenimus ad vallem multae latitudinis ac profunditatis, infinitae autem longitudinis; quae ad laevam nobis sita, unum latus flammis ferventibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore nivium omnia perflante atque verrente non minus intolerabile praeferebat. Utrumque autem erat animabus hominum plenum, quae vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu jactari. Cum enim vim fervoris immensi tolerare non possent, prosiliebant miserae in medium frigoris infesti: et cum neque ibi quippiam requiei invenire valerent, resiliebant rursus urendae in medium flammarum inextinguibilem. Cumque hac infelici vicissitudine longe lateque, prout aspicere poteram, sine ulla quietis intercapedine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare coepi quod hic fortasse esset infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrare saepius audivi. Respondit cogitationi meae ductor qui me praecedebat: Non hoc, inquiens, suspiceris; non enim hic infernus est ille quem putas.

«At cum me hoc spectaculo tam horrendo perterritum paulatim in ulteriora produceret, vidi subito ante nos obscurari incipere loca, et tenebris omnia repleri. Quas cum intrarem, in tantum paulisper condensatae sunt, ut nihil praeter ipsas aspicerem, excepta dumtaxat specie et veste ejus qui me ducebat. Et cum progredieremur sola sub nocte per umbras,¹⁷ ecce subito apparent ante nos crebri flammarum tetrae globi, ascendentes quasi de puteo magno, rursumque decedentes in eundem. Quo cum perductus essem, repente ductor meus disparuit, ac me solum in medio tenebrarum et horridae visionis reliquit. At cum iidem globi ignium sine intermissione modo alta peterent, modo ima baratri repeterent, cerno omnia quae ascendebant fastigia flammarum plena esse spiritibus hominum, qui instar favillarum cum fumo ascendentium nunc ad sublimiora projicerentur, nunc retractis ignium vaporibus relaberentur in profunda. Sed et foetor incomparabilis cum eisdem vaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum loca replebat. Et cum diutius ibi pavidus consisterem, utpote incertus quid agerem, quo verterem gressum, qui me finis maneret: audio subitum post terga sonitum immanissimi fletus ac miserrimi, simul et cachinnum crepitantem quasi vulgi indocti captis hostibus insultantis. Ut autem sonitus idem clarior redditus ad me usque pervenit, considero turbam malignorum spirituum, quae quinque animas hominum moerentes ejulantesque, ipsa multum exultans et cachinnans medias illas trahebat in tenebras: e quibus videlicet hominibus, ut dignoscere potui, quidam erat adtonsus ut clericus, quidam laicus, quaedam femina. Trahentes autem eos maligni spiritus descenderunt in medium baratri illius ardentis;

¹⁷ Narážka na Vergilia (Aen. VI,268): *Ibant obscuri sola sub nocte per umbram*

factumque est ut cum longius subeuntibus eis, fletum hominum, et risum daemoniorum clare discernere nequirem, sonum tamen adhuc promiscuum in auribus haberem. Interea ascenderunt quidam spirituum obscurorum de abyssu illa flammivoma, et adcurrentes circumdederunt me, atque oculis flammantibus, et de ore ac naribus ignem putidum efflantes angebant, forcipibus quoque igneis quos tenebant in manibus, minitabantur me comprehendere, nec tamen me ullatenus contingere, tametsi terrere praesumebant. Qui cum undiqueversum hostibus et caecitate tenebratum conclusus huc illucque oculos circumferrem, si forte alicunde quid auxilii quo salvarer, adveniret, apparuit retro via qua veneram quasi fulgor stellae meantis inter tenebras, qui paulatim crescens et ad me ocus festinans ubi adpropinquavit, dispersi sunt et aufugerunt omnes qui me forcipibus rapere quaerebant spiritus infesti.

«Ille autem qui adveniens eos fugavit erat ipse, qui me ante ducebat: qui mox conversus ad dexterum iter, quasi contra ortum solis brumalem me ducere coepit. Nec mora, exemptum tenebris in auras me serenae lucis eduxit: cumque me in luce aperta duceret, vidi ante nos murum permaximum, cujus neque longitudini hinc vel inde, neque altitudini ullus esse terminus videretur. Coepi autem mirari quare ad murum accederemus, cum in eo nullam januam vel fenestram vel ascensum alicubi conspicerem. Cum ergo pervenissemus ad murum, statim nescio quo ordine fuimus in summitate ejus. Et ecce ibi campus erat latissimus ac laetissimus, tantaque fragrantia vernantium flosculorum plenus, ut omnem mox foetorem tenebrae fornacis, qui me pervaserat, effugaret admirandi hujus suavitas odoris. Tanta autem lux cuncta ea loca perfuderat, ut omni splendore diei, sive solis meridiani radiis videretur esse praeclarior. Erantque in hoc campo innumera hominum albatorum conventicula, sedesque plurimae agminum laetantium. Cumque inter choros felicium incolarum medios me duceret, cogitare coepi quod hoc fortasse esset regnum caelorum, de quo praedicari saepius audivi. Respondit ille cogitatu meo: Non, inquiens, non hoc est regnum caelorum quod autumas.

«Cumque procedentes transissemus, et has beatorum mansiones spirituum, aspicio ante nos multo majorem luminis gratiam quam prius; in qua etiam vocem cantantium dulcissimam audivi; sed et odoris fragrantia miri tanta de loco effundebatur, ut is quem antea degustans quasi maximum rebar, jam permodicus mihi odor videretur: sicut etiam lux illa campi florentis eximia, in comparatione ejus quae nunc apparuit lucis, tenuissima prorsus videbatur, et parva. In cujus amoenitatem loci cum nos intraturos sperarem, repente ductor substitit; nec mora, gressum retorquens, ipsa me qua venimus via reduxit.

«Cumque reversi perveniremus ad mansiones illas laetas spirituum candidatorum, dixit mihi: Scis quae sint ista omnia quae vidisti? Respondi ego. Non. Et ait: Vallis illa quam aspexisti flammis ferventibus et frigoribus horrenda rigidis, ipse est locus in quo examinandae et castigandae sunt animae illorum, qui differentes confiteri et emendare scelera quae fecerant, in ipso tandem mortis articulo ad poenitentiam confugiunt, et sic de corpore exeunt: qui tamen quia confessionem et poenitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die judicii ad regnum coelorum perveniunt. Multos autem preces viventium et eleemosynae et jejunia et maxime celebratio missarum, ut etiam ante diem judicii liberentur, adjuvant. Porro puteus ille flammivomus ac putidus quem vidisti, ipsum est os gehennae, in quo quicumque semel inciderit nunquam inde liberabitur in aevum. Locus vero iste florifer, in quo pulcherrimam hanc juventutem jocundari ac fulgere conspicias, ipse est in quo recipiuntur animae eorum qui in bonis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen sunt tantae perfectionis, ut in regnum caelorum statim mereantur introduci qui tamen omnes in die judicii ad visionem Christi et gaudia regni caelestis intrabunt. Nam quicumque in omni verbo et opere et cogitatione perfecti sunt, mox de corpore egressi ad regnum caeleste perveniunt: ad cujus vicina pertinet locus ille, ubi sonum cantilenae dulcis cum odore suavitatis ac splendore lucis

audisti. Tu autem quia nunc ad corpus reverti et rursus inter homines vivere debes, si actus tuos curiosius discutere, et mores sermonesque tuos in rectitudine ac simplicitate servare studueris, accipies et ipse post mortem locum mansionis inter haec quae cernis agmina laetabunda spirituum beatorum. Namque ego cum ad tempus abscessissem a te, ad hoc feci ut quid de te fieri deberet agnoscerem. Haec mihi cum dixisset, multum detestatus sum reverti ad corpus, delectatus nimirum suavitate ac decore loci illius quem intuebar, simul et consortio eorum quos in illo videbam. Nec tamen aliquid ductorem meum rogare audebam: sed inter haec nescio quo ordine repente me inter homines vivere cerno.»

Haec et alia quae viderat idem vir Domini, non omnibus passim desidiosis ac vitae suae incuriosis referre volebat, sed illis solummodo qui, vel tormentorum metu perterriti, vel spe gaudiorum perennium delectati, profectum pietatis ex ejus verbis haurire volebant. Denique in vicinia cellae illius habitabat quidam monachus, nomine Haemgils, presbyteratus etiam quem bonis operibus adornabat, gradu praeeminens, qui adhuc superest, et in Hibernia insula solitarius ultimam vitae aetatem pane cibario et frigida aqua sustentat. Hic saepius ad eundem virum ingrediens, audivit ab eo repetita interrogatione, quae et qualia essent quae exutus corpore videret: per cujus relationem, ad nostram quoque agnitionem pervenire quae de his pauca perstrinximus. Narrabat autem visiones suas etiam regi Aldfrido viro undecumque doctissimo; et tam libenter, tamque studiose ab illo auditus est, ut ejus rogatu monasterio supra memorato inditus, ac monachica sit tonsura coronatus, atque ad eum audiendum saepissime cum illas in partes devenisset accederet. Cui videlicet monasterio tempore illo religiosae ac modestae vitae abbas et presbyter Aediluald praerat, qui nunc episcopalem Lindisfarnensis Ecclesiae cathedram condignis gradu actibus servat.

Acceptit autem in eodem monasterio locum mansionis secretiorem, ubi liberius continuis in orationibus famulatus sui Conditoris vacaret. Et quia locus ipse super ripam fluminis erat situs, solebat hunc creber ob magnum castigandi corporis affectum ingredi, ac saepius in eo supermeantibus undis immergi; sicque ibidem quamdiu sustinere posse videbatur, psalmis vel precibus insistere, fixusque manere ascendente aqua fluminis usque ad lumbos, aliquando usque ad collum; atque inde egrediens ad terram nunquam ipsa vestimenta uda atque algida deponere curabat, donec ex suo corpore calefierent et sicarentur. Cumque tempore hiemali defluentibus circa eum semifratarum crustis glacierum, quas et ipse aliquando contriverat quo haberet locum standi sive immergendi in fluvio, dicerent, qui videbant: «Mirum, frater Drythelme (hoc enim erat viro nomen), quod tantam frigoris asperitatem ulla ratione tolerare praevaldes!» Respondebat ille simpliciter, erat namque homo simplicis ingenii ac moderatae naturae: «Frigidiora ego vidi.» Et cum dicerent: «Mirum quod tam austeram tenere continentiam velis!» Respondebat: «Austeriora ego vidi.» Sicque usque ad diem suae vocationis infatigabili caelestium bonorum desiderio corpus senile inter quotidiana jejunia domabat, multisque et verbo et conversatione saluti fuit.

J.-P. Migne, Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 95, 241-252.

Beda Venerabilis, *De orthographia*

- .A. littera etiam nota praenominis est cum Augustum sola significat.
- .B. propinqua est .p. litterae qua saepe mutatur, ut supponit, opponit.
- .C. nota est praenominis cum Gaium significat; item numeri, cum centum.
- .D. littera propinqua est consonantibus his .c. .g. .l. .p. .r. .m. .t. quae succedunt in locum eius, ut accipere, aggere, alliga, appare, arripe, ammitte, attende. Nota praenominis cum Decium sola significat. Item numeri, cum quingentos.
- .L. sola Lucium significat.
- .M. sola Marcum.
- .N. sola Numerum. Praeposita .G. Gnaeum.

.P. sola Publium; et cum .R. populum Romanum; et subiecta .R. rem publicam; et praeposita .C. litterae, patres conscripti sive post consulatum.
.Q. littera etiam nota est praenominis, cum Quintum sola significat; item honoris cum quaestorem; populum cum Quirites.
.T. nota est praenominis cum Titum sola significat.
.V. adiuncta .C., cum virga iacente superposita, vir clarissimus; .V. geminata, cum virga iacente superposita, verbi gratia; .V. geminata cum .C. duplice, viri clarissimi.

[výklad některých slov od písmene F:]

Fimbria genere feminino, et fimbrium dicitur neutro.

Fides fidei, de credulitate; fides fidis, de chorda. Utraque .es. longa.

Flemina sunt, ubi abundant crura sanguine; plemina, cum in manibus vel in pedibus callosis sulci sunt.

Fastus, de superbia, facit fastuum genetivo plurali; fastus, de libris, facit fastorum.

Fungi agere est; defungi peragere.

Fremor est murmur hominum; fremitus ferarum.

Flavum dicimus rubeum, sicut «flava Ceres»; furvum nigrum. Fulvum nigro rubeum, sicut fulvum leonem dicimus; fulvam aquilam et fulvum aurum et «fulva pugnas de nube tuentem», quae haberet igneum aliquid de caelesti et sordidum de lugubri. Fulvum certe aurum, cui ad decorem splendoris sui nigelli aliquid additur.

Forum neutro genere dicimus locum rebus agendis destinatum, vel cum commercium significamus; foros masculine tabulata navium, ubi remiges sedent, et semper pluraliter.

Beda Venerabilis, *De ratione temporum*

Cap. I. De computo vel loquela digitorum

De temporum ratione, domino iuvante, dicturi necessarium duximus utilissimam primo promptissimamque flexus digitorum paucis praemonstrare solertiam, ut cum maximam computandi facilitatem dederimus, tum paratiore legentum ingenio ad investigandam dilucidandamque computando seriem temporum veniamus. Neque enim contemnenda parvive pendenda est regula cuius omnes pene sacrae expositores scripturae, non minus quam literarum figuras, monstrantur amplexi. Denique et multi alii alias, et ipse divinae interpret historiae Hieronimus in evangelicae tractatu sententiae, huius adiumentum disciplinae non dubitavit assumere: «Centesimus», inquit, «et sexagesimus et tricesimus fructus, quamquam de una terra et de una semente nascatur, tamen multum differt in numero. Triginta referuntur ad nuptias: nam et ipsa digitorum coniunctio et, quasi molli osculo se complectens et foederans, maritum pingit et coniugem. Sexaginta ad viduas: eo quod in angustia et tribulatione sint positae; unde et in superiore digito deprimuntur, quantoque maior est difficultas expertae quondam voluntatis illecebras abstinere, tanto maius et praemium. Porro centesimus numerus (quaeso, diligenter lector, attende) a sinistra transfertur ad dexteram et, hisdem quidem digitis, sed non eadem manu, quibus in laeva manu nuptiae significantur et viduae, circulum faciens exprimit virginitatis coronam.

Cum ergo dicis unum, minimum in laeva digitum inflectens, in medium palmae artum infiges. Cum dicis duo, secundum a minimo flexum, ibidem impones. Cum dicis tria, tertium similiter adflexes. Cum dicis quattuor, itidem minimum levabis. Cum dicis quinque, secundum a minimo similiter eriges. Cum dicis sex, tertium nihilominus elevabis, medio dumtaxat solo, qui medicus appellatur, in medium palmae fixo. Cum dicis septem, minimum solum, caeteris interim levatis, super palmae radicem pones.

...

Est et alterius modi computus, articulatum decurrens, qui, quoniam specialiter ad paschae rationem pertinet, cum ad hanc ex ordine ventum fuerit, opportunius explicabitur. Potest autem et de ipso quem praenotavi computo quaedam manualis loquela, tam ingenii exercendi quam ludi agendi gratia figurari; qua literis quis singillatim expressis verba, quae hisdem literis contineantur, alteri qui hanc quoque noverit industriam, tametsi procul posito, legenda atque intellegenda contradat, vel necessaria quaeque per haec occultius innuendo significans vel imperitos quosque quasi divinando deludens. Cuius ordo ludi vel loquela talis est: cum primam alphabeti literam intinere cupis, unum manu teneto; cum secundam, duo. Cum tertiam, tria. et sic ex ordine ceteras. Verbi gratia, si amicum inter insidiatores positum ut caute se agat admonere desideras, .III., et .I., et .XX., et .XIX., et .V., et .I., et .VII., et .V., digitis ostende; huius namque ordinis literae, «caute age» significant. Potest et ita scribi, si causa secretior exigat. Sed haec Graecorum computo literisque facilius disci simul atque agi possunt, qui non, ut Latini, paucis hisdemque geminatis suos numeros solent exprimere literis; verum toto alphabeti sui caractere in numerorum figuras expenso, tres qui plus sunt numeros notis singulis depingunt, eundem pene numeri figurandi, quem scribendi alphabeti ordinem sequentes, hoc modo:

A = I	I = X	Σ = CC
B = II	K = XX	T = CCC
Γ = III	Λ = XXX	Y = CCCC
Δ = IV	M = XL	Φ = D
E = V	N = L	X = DC
ς = VI	Ξ = LX	Ψ = DCC
Z = VII	O = LXX	Ω = DCCC
H = VIII	Π = LXXX	î = DCCCC
Θ = IX	ϣ = XC	
	P = C	

Qui et ideo mox numeros digitis significare didicerint, nulle interstante mora, literas quoque pariter hisdem praefigere sciunt; verum haec hactenus. Nunc ad tempora, quantum ipse temporum conditor ordinatorque dominus adiuvare dignabitur, exponenda veniamus.

Tatuinus (Tatwine), *Aenigmata*

1. De philosophia

- Septena alarum me circumstantia cingit,
Vecta per alma poli quis nunc volitare solesco,
Abdita nunc terrae penetrans atque ima profundi.
Sum Salomone sagacior et velocior euro,
5 Clarior et Phoebi radiis, pretiosior auro,
Suavior omnigena certe modulaminis arte,
Dulcior et favo gustantum in faucibus aeso.
Nulla manus poterit nec me contingere visus;
Cum presens dubio sine me quaerentibus adsto.
10 Mordentem amplector, parcentem me viduabo.
Est felix mea qui poterit cognoscere iura;
Quemque meo natum esse meum sub nomine rebor.

2. De spe, fide (et) caritate

Una tres natae sumus olim ex matre sagaci.
Est felix, eius liceat cui cernere formam
Reginae, fausto semper que numine regnat.
Solifero cuius thalamus splendore notescit.
5 Cernere que nullus nec pandere septa valebit,
Maternis quis nec poterit fore visibus aptus,
Nostris ni fuerit complexibus ante subactus.

21. De malo

Est mirum ingrato cunctis quod nomine dicor,
Cum rarum aut dubium qui me sine vivere constat,
Nec ego privatim constare bono sine possum:
Certum namque bonum si dempserit omne, peribo,
5 Iam mihi nulla boni innata est substantia veri.

Corpus Christianorum. Series Latina. 133. Ed. F.Glorie, Turnholti 1968

Navigatio sancti Brendani

25. Igitur sanctus Brendanus cum navigasset contra meridiem iter septem dierum, apparuit illis in mare quedam formula quasi hominis sedentis supra petra, et velum ante illum a longe quasi [mensura] unius sagi, pendens inter duas furcellas ferreas, et sic agitabatur fluctibus sicut navicola solet quando periclitatur a turbine. Alii ex fratribus dicebant quod avis esset, alii navim putabant. Vir Dei cum audisset eos intra se conferentes talia, ait: „Sinite ostendere. Dirigite cursum navis usque ad illum locum.“

Cum vero vir Dei illuc appropinquasset, restiterunt unde in circuitu quasi coagulate, et invenerunt hominem sedentem supra petram hispidum ac deformem, et unde ex omni parte quando effluebant ad illum, percuciebant eum usque ad verticem, et quando recedebant, apparebat illa petra nuda in qua sedebat infelix ille. Pannum quoque, qui ante illum pendebat, aliquando ventus minabat a se, aliquando percuciebat eum per oculos et frontem.

Beatus Brendanus cepit interrogare illum quis esset aut pro qua culpa missus esset ibi seu quid meriti habuisset ut talem penitentiam sustineret. Cui ait: „Ego sum infelicissimus Judas atque negociator pessimus. Non pro merito habeo istum locum sed pro misericordia ineffabili Jhesu Christi. Non mihi computatur penalis iste locus sed pro indulgentia Redemptoris propter honorem dominice resurrectionis.“ Nam erat dies dominicus tunc. „Mihi enim videtur, quando sedeo hic, quasi fuissem in paradiso deliciarum propter timorem tormentorum que futura sunt mihi in hac vespera. Nam ardeo sicut massa plumbi liquefacta in olla die ac nocte in medio montis quem vidistis. Ibi est Leviathan cum suis satellitibus. Ibi fui quando deglutivit fratrem vestrum, et ideo erat infernus letus ut emisisset foras flammam ingentes, et sic facit semper quando animas impiorum devorat. Meum vero refrigerium habeo hic omni die dominico a vespera usque ad vesperam, et in Nativitate Domini usque in Theophaniam et a Pascha usque in Pentecosten et in Purificatione Dei Genitricis atque Assumpcione. Postea et antea crucior in profundo inferni cum Herode et Pilato et Anna et Kaipha. Idcirco adiuro vos per Redemptorem mundi ut intercedere dignemini ad Dominum Jhesum Christum ut habeam hic potestatem esse usque ad ortum solis cras, ne me demones in adventu vestro crucient atque deducant ad malam hereditatem quam comparavi malo precio.“ Cui sanctus Brendanus ait: „Fiat voluntas Domini. Hac nocte non eris morsus demonum usque mane.“

Corippus, Iohannis

Praefatio ad proceres Carthaginenses

Victores, proceres, praesumpsi dicere lauros:
tempore pacifico carmina festa canam.
scribere me libuit magnum per bella Iohannem,
uenturo generi facta legenda uiri.
5 omnia nota facit longaeuo littera mundo,
dum memorat ueterum proelia cuncta ducum.
quis magnum Aeneam, saeuum quis nosset Achillem,
Hecota quis fortem, quid Diomedis equos,
uis Palamedeas acies, quis nosset Ulixem,
10 littera ni priscum commemoraret opus?
Aeneam doctus carmine Vergilius:
meque Iohannis opus docuit describere pugnas
cunctaque uenturis acta referre uiris.
15 Aeneam superat melior uirtute Iohannes,
sed non Vergilio carmina digna cano.
maxima ductoris quod sum temerarius acta
uirtutesque uiri uictaque bella tonant.
nutat in angusto discors fortuna poetae:
20 laureus inde fauor, pallidus inde timor.
concitat ad cantus series ditissima rerum:
ductorem egregium docto non carmine canto,
et retinet linguam torpor in ore meam.
25 quid <quod ego ignarus>, quondam per rura locutus,
urbis per populos carmina mitto palam?
forsitan et fracto ponetur syllaba uersu,
confiteor: Musa est rustica namque mea.
nempe admittenda est dicendae gloria laudi:
30 fraudabor solus munere nulla canens?
concitata ora magis pulsus de pectore terror:
laudibus immissis sit fauor ore meo.
quos doctrina negat confert uictoria uersus,
carminibus fessum gaudia tanta leuant.
35 gaudeat in multis sic si Carthago triumphis,
sit mihi rite fauor, sit rogo uester amor.
rustica Romanis dum certat Musa Camenis,
ductorem nostrum fama per astra uehit.
si placet ut primi recitem mea dicta libelli,
40 tunc meritis iussis carmina prima cano.

9. století

Carolus Magnus, *Epistula de litteris colendis*

Karolus, gratia Dei rex Francorum et Langobardorum ac patricius Romanorum, Baugulfo abbati et omni congregationi, tibi etiam commissis fidelibus oratoribus nostris in omnipotentis Dei nomine amabilem direximus salutem.

Notum igitur sit Deo placitae devotioni vestrae, quia nos una cum fidelibus nostris consideravimus utile esse, ut episcopia et monasteria nobis Christo propitio ad gubernandum commissa praeter regularis vitae ordinem atque sanctae religionis conversationem etiam in litterarum meditationibus eis, qui donante Domino discere possunt secundum uniuscuiusque capacitatem docendi studium debeant impendere. /.../ Quamvis enim melius sit bene facere quam nosse, prius tamen est nosse quam facere. Debet ergo quisque discere quod optat implere, ut tanto uberius quid agere debeat intelligat anima. /.../ Nam cum nobis in his annis a nonnullis monasteriis saepius scripta dirigerentur, in quibus, quod pro nobis fratres ibidem commorantes in sacris et piis orationibus decertarent, significaretur, cognovimus in plerisque praefatis conscriptionibus eorundem et sensus rectos et sermones incultos... Factum est, ut timere inciperemus, ne forte, sicut minor erat in scribendo prudentia, ita quoque et multo minor esset quam recte esse debuisset in sacrarum scripturarum ad intelligendum sapientia. Et bene novimus omnes, quia, quamvis periculosi sint errores verborum, multo periculosiores sunt errores sensuum.

Quamobrem hortamur vos litterarum studia non solum non negligere, verum etiam humillima et Deo placita intentione ad hoc certatim discere, ut facilius et rectius divinarum scripturarum mysteria valeatis penetrare. Cum autem in sacris paginis schemata, tropi et cetera his similia inserta inveniantur, nulli dubium est, quod ea unusquisque legens tanto citius spiritualiter intellegit, quanto prius in litterarum magisterio plenius instructus fuerit. Tales vero ad hoc opus viri eligantur, qui et voluntatem et possibilitatem discendi et desiderium habeant alios instruendi. Et hoc tantum ea intentione agatur, qua devotione a nobis praecipitur. Optamus enim vos, sicut decet ecclesiae milites et interius devotos et exterius doctos castosque bene vivendo et scholasticos bene loquendo, ut quicumque vos propter nomen Domini et sanctae conversationis nobilitatem ad videndum expetierit, sicut de aspectu vestro aedificatur visus, ita quoque de sapientia vestra, quam in legendo seu cantando perceperit, instructus omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat. Huius itaque epistulae exemplaria ad omnes suffragantes tuosque coepiscopos et per universa monasteria dirigi non neglegas, si gratiam nostram habere vis.

Monumenta Germaniae historica. Leges I. Ed. G. H. Pertz. Hannoverae 1835. s. 52.

Paulus Diaconus, *Historia Langobardorum*

I, 4

Haut ab re esse arbitror paulisper narrandi ordinem postponere, et quia adhuc stilus in Germania vertitur, miraculum, quod illic apud omnes celebre habetur, seu et quaedam alia breviter intimare. In extremis circium versus Germaniae finibus, in ipso oceani litore antrum

sub eminenti rupe conspicitur, ubi septem viri, incertum ex quo tempore, longo sopiti sopore quiescunt, ita inlaesis non solum corporibus sed etiam vestimentis, ut ex hoc ipso, quod sine ulla per tot annorum curricula corruptione perdurant, apud indociles easdem et barbaras nationes veneratione habeantur. Hi denique, quandum unum quidam cupiditate stimulatus vellet exuere, mox eius, ut dicitur, brachia aruerunt, poenaeque sua ceteros perterruit, ne quia eos ulterius contingere auderet. Videres ad quod eos profectum per tot tempora providentia divina conservet. Fortasse horum quandoque, quia non aliter nisi christiani esse putantur, gentes illae praedicatione salvandae sunt.

III, 34

Cuius unum factum satis admirabile libet nos huic nostrae historiae breviter inserere, praesertim cum hoc Francorum historia noverimus minime contineri. Is cum venatum quodam tempore in silvam isset et, ut adsolet fieri, hac illacque discurrentibus sociis, ipse cum uno fidelissimo tantum suo remansisset, gravissimo somno depressus, caput in genibus eiusdem fidelis sui reclinans, obdormivit. De cuius ore parvum animal, non modum reptilis egressum, tenuem rivulum qui propter discurrebat ut transire posset satagere coepit. Tunc isdem in cuius gremio quiescebat spatham suam vagina exemptam super eundem rivulum posuit; super quam illud reptile, de quo diximus, ad partem aliam transmeavit. Quod cum non longe exinde in quoddam foramen montis ingressum fuisset et post aliquantum spatii regressum super eandem spatham praefatum rivulum transmeasset, rursus in os Gunthramni de quo exierat, introivit. Gunthramnus post haec de somno expergefactus mirificam se visionem vidisse narravit. Retulit enim paruisse sibi in somnis quod fluvium quendam per pontem ferreum transisset et sub montem quoddam introisset ubi multos auri pondus aspexisset. Is vero in cuius gremio caput tenuerat cum dormisset, quid de eo viderat ei per ordinem retulit. Quid plura? Effossus est locus ille et inaestimabiles thesauri, qui ibidem antiquitus positi fuerant, sunt reperti. De quo auro ipse rex postmodum ciborium solidum mirae magnitudinis et magni ponderis fecit multisque illud pretiosissimis gemmis decoratum ad sepulchrum Domini Hierosolimam transmittere voluit. Sed cum minime potuisset, idem supra corpus beati Marcelli martyris, quod in civitate Cavalono sepultum est, ubi sedes regni illius erat, poni fecit; et est ibi usque in praesentem diem. Non est usquam ullum opus ex auro effectum quod ei valeat comparari. Sed nos, his breviter quae relatu digna erant contactis, ad historiam revertamur.

VI, 6

Rex vero Cunincpert dum post haec cum stratore suo, qui lingua propria marpahis dicitur, consilium iniret in civitate Ticinensi quomodo Aldonem et Grausonem vita privare deberet, repente in finestra iuxta quam consistebant una de maiusculis musca consedit; quam Cunincpert cultello ut extingueret percutere volens, eius tantum pedem abscidit. Aldo vero et Grauso dum ad palatium regis consilium nescientes venirent, cum basilicae sancti Romani martyris, quae prope palatium sita est, propinquassent, repente eis obviis quidam claudus uno pede truncato factus est; qui eis dixit quod eos Cunincpert, si ad eum pergerent, occisurus esset. Qui haec audientes, magno timore correpti, post altarium eiusdem basilicae confugiere. Moxque Cunincperto regi nuntiatum est quod Aldo et Grauso in basilica beati Romani martyris confugissent. Tunc Cunincpert stratorem suum arguere coepit ut quid suum consilium pondere debuisset. Cui suus strator ita respondit: „Domine mi rex, tu scis quia postquam hoc consiliati sumus ego a tuo conspectu non exivi; et quomodo hoc alicui dicere potui?“ Tunc rex ad Aldonem et Grausonem misit, interrogans eos ut quid in locum sanctum confugium fecissent. Qui respondentes dixerunt: „Quia nuntiatum est nobis quod nos dominus rex occidere vellet.“ Iterato rex misit ad eos, sciscitans quis fuerit ille qui eis nuntiaverit, invenire non possint. Tunc illi sicut factum fuerat regi mandaverunt, dicentes cladum

hominem obvium se habuisse, qui unum pedem truncatum habebat et genu tenus crure ligneo utebatur, et hunc fuisse sui interitus nuntium. Tunc intellexit rex muscam illam cui pedem truncaverat malignum spiritum fuisse et ipsum sui secreti consilia prodidisse. Qui statim Aldonem et Grausonem in sua fide de eadem basilica suscipiens, eisdem culpam pepercit et in reliquum eosdem in loco fidelium habuit.

Monumenta Germaniae historica. Scriptores rerum Langobardicarum et Italicarum saec. VI – IX. Ed. L. Bethmann – G. Waitz. Hannoverae 1878. s. 49, 112-113, 167.

Paulus Diaconus, *Versus in laude Larii Laci*

Ordinar unde tuas laudes, o maxime Lari?
Munificas dotes ordinar unde tuas?
Cornua panda tibi sunt instar vertice tauri;
Dant quoque sic nomen cornua panda tibi.
5 Munera magna vehis divinis dives asyilis,
Regificis mensis munera magna vehis.
Ver tibi semper inest, viridi dum cespite polles;
Frigora dum superas, ver tibi semper inest.
Cinctus oliviferis utroque es margine silvis;
10 Numquam fronde cares cinctus oliviferis.
Punica mala rubent laetos hinc inde per hortos;
Mixta simul lauris Punica mala rubent.
Myrtea virga suis redolet de more corimbis,
Apta est et foliis myrtea virga suis.
15 Vincit odore suo delatum Perside malum.
Citreon has omnes vincit odore suo.
Cedat et ipse tibi me iudice furvus Avernus,
Epyrique lacus cedat et ipse tibi.
Cedat et ipse tibi vitrea qui Fucinus unda est.
20 Lucrinusque potens cedat et ipse tibi.
Vinceres omne fretum, si te calcasset Iesus,
Si Galilaeus eras, vinceres omne fretum.
Fluctibus ergo cave tremulis submergere lintres;
Ne perdas homines fluctibus ergo cave.
25 Si scelus hoc fugias, semper laudabere cunctis;
Semper amandus eris, si scelus hoc fugias.
Sit tibi laus et honor, trinitas immensa, per aevum;
Quae tam mira facis, sit tibi laus et honor.
Qui legis ista, precor, "Paulo" dic "parce, redemptor",
30 Spernere neve velis, qui legis ista, precor.

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler. Berolini 1881. s. 42.

Paulus Diaconus, *Item versus Pauli ad regem precando*

Verba tui famuli, rex summe, adtende serenus,
Respice et ad fletum cum pietate meum.
Sum miser, ut mereor, quantum vix ullus in orbe est;
Semper inest luctus tristis et hora mihi.
5 Septimus annus adest, ex quo nova causa dolores
Multiplices generat et mea corda quatit.
Captivus vestris extunc germanus in oris

- Est meus, afflicto pectore, nudus, egens.
 Illius in patria coniunx miseranda per omnes
- 10 Mendicat plateas ore tremente cibos.
 Quattuor hac turpi natos sustentat ab arte,
 Quos uix pannuciis praeualet illa tegi.
 Est mihi, quae primis Christo sacrata sub annis
 Excubat, egregia simplicitate soror:
- 15 Haec sub sorte pari luctum sine fine retentans
 Privata est oculis iam prope flendo suis.
 Quantulacumque fuit, direpta est nostra supellex,
 Nec est, heu, miseris qui ferat ullus opem.
 Coniunx est fratris rebus exclusa paternis,
- 20 Iamque sumus servis rusticitate pares.
 Nobilitas periit miseris, accessit aegestas:
 Debuimus, fateor, asperiora pati.
 Sed miserere, potens rector, miserere, precamur,
 Et tandem finem his pie pone malis.
- 25 Captivum patriae redde et civilibus arvis,
 Cum modicis rebus culmina redde simul;
 Mens nostra ut Christo laudes in secla frequentet,
 Reddere qui solus praemia digna potest.

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler. Berolini 1881. s. 47-48.

Alciun, *Disputatio Pippini regalis et nobilissimi iuvenis cum Albino scholastico*
LXXVII

- Pippinus. Quid est littera? – Albinus. Custos historiae.
 P. Quid est verbum? A. Proditor animi.
 P. Quis generat verbum? A. Lingua.
 P. Quid est lingua? A. Flagellum aeris.
 P. Quid est aer? A. Custodia vitae.
 P. Quid est vita? A. Beatorum laetitia, miserorum maestitia, expectatio mortis.
 P. Quid est mors? A. Inevitabilis eventus, incerta peregrinatio, lacrimae viventium, testamenti firmamentum, latro hominis. "
- P. Quid est homo? A. Mancipium mortis, transiens viator, loci hospes.
 P. Cui similis est homo? A. Pomo.
 P. Quomodo positus est homo? A. Ut lucerna in vento.
 P. Ubi positus est? A. Intra sex parietes.
 P. Quos? A. Supra, subtus; ante, retro; dextra laevaue.
 P. quot habet socios? A. Quattuor.
 P. Quos? A. Calorem, frigus, siccitatem, humorem.
 P. Quot modis variabilis est? A. Sex.
 P. Quibus? A. Esurie et saturitate; requie et labore; vigiliis et somno.
 P. Quid est somnus? A. Mortis imago.
 P. Quid est libertas hominis? A. Innocentia.
 P. Quid est caput? A. Culmen corporis.
 P. Quid est corpus? A. Domicilium animae.
 P. Quid sunt comae? A. Vestes capitis.
 P. Quid est barba? A. Sexus discretio, honor aetatis.
 P. Quid est cerebrum? A. Servator memoriae.
 P. Quid sunt oculi? A. Duces corporis, vasa luminis, animi indices.

- P. Quid sunt nares? A. Adductio odorum.
 P. Quid sunt aures? A. Collatores sonorum.
 P. Quid est frons? A. Imago animi.
 P. Quid est gula? A. Devorator cibi?
 P. Quid sunt manus? A. Operarii corporis.
 P. Quid sunt digiti? A. Chordarum plectra.
 P. Quid est pulmo? A. Servator aeris.
 P. Quid est cor? A. Receptaculum vitae.
 P. Quid est iecur? A. Custodia caloris.
 P. Quid est fel? A. Suscitatio iracundiae.
 P. Quid est splenis? A. Risus et laetitiae capax.
 P. Quid est stomachus? A. Ciborum coquator.
 P. Quid est venter? A. Custos fragilium.
 P. Quid sunt ossa? A. Fortitudo corporis.
 P. Quid sunt coxae? A. Epistylia columnarum.
 P. Quid sunt crura? A. Columnae corporis.
 P. Quid sunt pedes? A. Mobile fundamentum.
 P. Quid est sanguis? A. Humor venarum, vitae alimentum.
 P. Quid sunt venae? A. Fontes carnis.
 P. Quid est caelum? A. Sphaera volubilis, culmen immensum.
 P. Quid est dies? A. Incitamentum laboris.
 P. Quid est sol? A. Splendor orbis, caeli pulchritudo, naturae gratia, honor diei, horarum distributor.
 P. Quid est luna? A. Oculus noctis, roris larga, praesaga tempestatum.
 P. Quid sunt stellae? A. Pictura culminis, nautarum gubernatores, noctis decor.
 P. Quid est pluvia? A. Conceptio terrae, frugum generatrix.
 P. Quid est nebula? A. Nox in die, labor oculorum.
 P. Quid est ventus? A. Aeris perturbatio, mobilitas aquarum, siccitas terrae.
 P. Quid est terra? A. Mater crescentium, nutrix viventium, cellarium vitae, devoratrix omnium.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 101, 975-976.

Alcuin, *De sanctis Eboracensis ecclesiae* (vv. 1525-1561)

- 1525 Tradidit ast alio caras super omnia gazas
 Librorum nato, patri qui semper adhaesit,
 Doctrinae sitiens haurire fluenta suetus:
 Cuius si curas proprium cognoscere nomen,
 Fronte sua statim praesentia carmina prodent.
- 1530 His divisit opes diversis sortibus; illi
 Ecclesiae regimen, thesauros rura, talenta:
 Huic sophiae specimen, studium sedemque, librosque,
 Undique quos clarus collegerat ante magister,
 Egregias condens uno sub culmine gazas.
- 1535 Illic invenies veterum vestigia patrum,
 Quidquid habet pro se Latio Romanus in orbe,
 Graecia vel quidquid transmisit clara Latinis,
 Hebraicus vel quod populus bibit imbre superno,
 Africa lucifluo vel quidquid lumine sparsit.
- 1540 Quod pater Hieronymus, quod sensit Hilarius atque
 Ambrosius praesul, simul Augustinus, et ipse

- Sanctus Athanasius, quod Orosius edit auitus:
 Quidquid Gregorius summus docet et Leo papa;
 Basilius quidquid, Fulgentius atque coruscant.
- 1545 Cassiodorus item, Chrysostomus atque Iohannes.
 Quidquid et Althelmus docuit, quid Beda magister,
 Quae Victorinus scripsere Boetius atque,
 Historici veteres, Pompeius, Plinius, ipse
 Acer Aristoteles, rhetor quoque Tullius ingens.
- 1550 Quid quoque Sedulius, vel quid canit ipse Iuencus,
 Alcimus et Clemens, Prosper, Paulinus. Arator,
 Quid Fortunatus, vel quid Lactantius edunt.
 Quae Maro Virgilius, Stadius, Lucanus et auctor,
 Artis grammaticae vel quid scribere magistri;
- 1555 Quid Probus atque Focas, Donatus Priscianusve,
 Servius, Euticius, Pompeius, Comminianus.
 Inuenies alios perplures, lector, ibidem.
 Egregios studiis, arte et sermone magistros,
 Plurima qui claro scripsere volumina sensu:
- 1560 Nomina sed quorum praesenti in carmine scribi
 Longius est visum, quam plectri postulet usus.

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler. München 1978., s. 203-204.

Alcuin, *Hic sedeant scribentes*

- Hic sedeant sacrae scribentes famina legis,
 Nec non sanctorum dicta sacrata patrum;
 Hic interserere caveant sua frivola verbis,
 Frivola nec propter erret et ipsa manus,
- 5 Correctosque sibi quaerant studiose libellos,
 Tramite quo recto penna volantis eat.
 Per cola distinguant proprios et commata sensus,
 Et punctos ponant ordine quosque suo,
 Ne vel falsa legat, taceat vel forte repente
- 10 Ante pios fratres lector in ecclesia.
 Est opus egregium sacros iam scribere libros,
 Nec mercede sua scriptor et ipse caret.
 Fodere quam vites melius est scribere libros,
 Ille suo ventri serviet, iste animae.
- 15 Vel nova vel vetera poterit proferre magister
 Plurima, quisque legit dicta sacrata patrum.

Monumenta Germaniae historica, Poetae Latini Medii Aevi I. Ed. E. Dümmler, München 1978, s. 320.

Alcuin, *Versus de cucullo*

- "Plangamus cuculum, Dafnin dulcissime, nostrum,
 Quem subito rapuit saeva noverca suis.
 Plangamus pariter querulosis uocibus illum,
 Incipe tu senior, quaeso, Menalca prior".
- 5 "Heu, cuculus nobis fuerat cantare suetus,
 Quae te nunc rapuit hora nefanda tuis?
 Heu, cuculus, cuculus, qua te regione reliqui,

- Infelix nobis illa dies fuerat.
 [Omne genus hominum, volucrum simul atque ferarum
 10 Conveniat nostrum querere nunc cuculum].
 Omne genus hominum cuculum conplangat ubique,
 Perditus est, cuculus, heu, perit ecce meus.
 Non pereat cuculus, veniet sub tempore veris,
 Et nobis ueniens carmina laeta ciet.
 15 Quis scit, si veniat; timeo, est summersus in undis,
 Vorticibus raptus atque necatus aquis.
 Heu mihi, si cuculum Bachus dimersit in undis,
 Qui rapiet iuvenes vortice pestifero.
 Si vivat, redeat, nidosque recurrat ad almos,
 20 Nec corvus cuculum dissecet ungue fero.
 Heu quis te, cuculus, nido rapit ecce paterno?
 Heu rapuit, rapuit, nescio si venias.
 Carmina si curas, cuculus, citus ecce venito,
 Ecce venito, precor, ecce venito citus.
 25 Non tardare, precor, cuculus, dum currere possis,
 Te Dafnin iuvenis optat habere tuus.
 Tempus adest veris, cuculus modo rumpe soporem,
 Te cupit, en, senior atque Menalca pater.
 En tondent nostri librorum prata iuveni,
 30 Solus abest cuculus, quis, rogo, pascit eum?
 Heu, male pascit eum Bachus, reor, impius ille,
 Qui sub cuncta cupit vertere corda male.
 Plangite nunc cuculum, cuculum nunc plangite cuncti,
 Ille recessit ouans, flens redit ille, puto.
 35 Opto tamen, flentem cuculum habeamus ut illum,
 Et nos plangamus cum cuculo pariter.

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler. München 1978, s. 269-270.

Alcuin, *Spor jara a zimy*

Všichni pastýři stád z hor vysokých sestoupí naráz
 dolů a v jarním světle se shromáždí ve stínu stromů,
 společně Múzy velebit chtějí, jež dávají radost.
 Přišel i mladý Dafnis a Palemon staršího věku.
 Všichni se připravovali, že oslaví kukačku písní.
 Jaro tam bylo též, jež hlavu věncí si kvítím,
 přišla i ledová Zima, již zmrzlé se ježily vlasy.
 Velký zápas je čekal, kdo kukačce zaspívá lépe.
 Jaro první se zvedlo a trojverší zanotovalo

JARO

„Přeji si, aby už přišla má kukačka, roznílé ptáče.
 Kdekdo ji vítá jak hosta, jenž v domě je nade vše milý,
 když svým zobáčkem rudým nám dobrou notuje píseň.“

ZIMA

Ledová Zima odpoví svým mrzutým hlasem:

„Kukačka nemusí chodit, at' spí si dál v jeskyni černé,
stejně má ve zvyku veliký hlad vždy přinášet s sebou.“

JARO

„Přeji si, aby už přišla má kukačka s pupenci stromů,
zahnila mráz a trvalou družkou slunce se stala –
slunce má kukačku rádo, jak jasný den stále se dluží.“

ZIMA

„Jen at' sem nechodí, vždyť plodí lopotu stálou,
přináší urputné boje, mír milený rozbíjí věčně,
všechno převrací a moře i země jsou v úzkých.“

JARO

„Pročpak, loudavá Zimo, v své písni kukačce spíláš?
Sama zmalátnělá se v temné jeskyni skrýváš
po hodech Venušiných a pitkách hloupého Bakcha.“

...

PALEMON

„Přestaň už konečně, Zimo, ty krutá a rozkazovačná!
At' přijde kukačka, jež pastýřů sladký je přítel,
rozkošné pupeny všude at' rozpuknou na našich kopcích,
at' mají ovce pastvu, at' na polích sladký mír vládne,
přístřeší unaveným at' poskytnou zelené větve,
kozy s vemeny nalitými at' k dojení chodí,
ptáci at' zdraví slunce, at' každý mu zpívá, jak umí.
Kukačko, kvůli tomu co nejdřív mezi nás přileť!
Tys naší sladkou láskou, tys pro všechny vítaným hostem.
Všichni tě očekávají, i moře, i země, i nebe.
Zdráva buď, nejmilejší, buď na věky, půvabná, zdráva!“

Sestra Múza. Usp. A. Vidmanová. Praha 1990. s. 44-45, 46. Překlad Václava Bahníka.

Alcuin, *O mea cella*

O mea cella, mihi habitatio dulcis, amata,
Semper in aeternum, o mea cella, vale.
Undique te cingit ramis resonantibus arbor,
Silvula florilegis semper onusta comis.
Prata salutiferis flore bunt omnia et herbis,
Quas medici quaerit dextra salutis opet.
Flumina te cingunt florentibus undique ripis,
Retia piscator qua sua tendit ovans.
Pomiferis redolent ramis tua claustra per hortos,
Lilia cum rosulis candida mixta rubris.
Omne genus volucrum matutinas personat odas,
Atque creatorem laudat in ore deum.
In te personuit quondam vox alma magistri,
Quae sacro sophiae tradidit ore libros.
In te temporibus certis laus sancta tonantis

Pacificis sonuit vocibus atque animis.
 Te, mea cella, modo lacrimosis plango camaenis,
 Atque gemens casus pectore plango tuos.
 Tu subito quoniam fugisti carmina vatum,
 Atque ignota manus te modo tota tenet.
 Te modo nec Flaccus nec vatis Homerus habebit,
 Nec pueri musas per tua tecta canunt.
 Vertitur omne decus secli sic namque repente,
 Omnia mutantur ordinibus variis.
 Nil manet aeternum, nihil immutabile vere est,
 Obscurat sacrum nox tenebrosa diem.
 Decutit et flores subito hiems frigida pulcros,
 Perturbat placidum et tristior aura mare.
 Qua campis cervos agitabat sacra iuventus,
 Incumbit fessus nunc baculo senior.
 Nos miseri, cur te fugitivum, mundus, amamus?
 Tu fugis a nobis semper ubique ruens.
 Tu fugiens fugias, Christum nos semper amemus,
 Semper amor teneat pectora nostra dei.
 Ille pius famulos diro defendat ab hoste,
 Ad caelum rapiens pectora nostra, suos;
 Pectore quem pariter toto laudemus, amemus;
 Nostra est ille pius gloria, vita, salus.

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler. München 1978, s. 243-244.

Angilbertus Centulensis, *Carmina*, 2

Surge, meo domno dulces fac, fistula, uersus.
 Daudid amat uersus, surge et fac, fistula, uersus.
 Daudid amat uates, uatorum est gloria Daudid,
 Quapropter, uates cuncti, concurrite in unum,
 5 Atque meo Daudid dulces cantate camenas.
 Daudid amat uates, uatorum est gloria Daudid.
 Dulcis amor Daudid inspiret corda canentum,
 Cordibus in nostris faciat amor ipsius odas.
 Vatis Homerus amat Daudid, fac, fistula, uersus.
 10 Daudid amat uates, uatorum est gloria Daudid.
 Inclita, dulcisono taceas ne, tibia, plectro,
 Nomen in ore tuo resonet per carmina Daudid,
 Illius atque tuum repleat dilectio pectus.
 Daudid amat uates, uatorum est gloria Daudid.
 15 Daudid amat ueterum sacratos noscere sensus,
 Diuitiasque senum gnaro percurrere corde,
 Scrutarique sacrae gestit secreta sophiae.
 Daudid amat uates, uatorum est gloria Daudid.
 Daudid habere cupit sapientes mente magistros,
 20 Ad decus, ad laudem cuiuscumque artis in aula,
 Vt ueterum renouet studiosa mente sophiam.
 Daudid amat uates, uatorum est gloria Daudid.
 Fundamenta super petram quoque ponit in altum,
 Vt domus alma deo maneat firmissima Christo.

25 Felix sic lapides posuit sua dextera primum,
 Inclita celsitrono fierent ut templa tonanti.
 Daudid amat uates, uatorum est gloria Daudid.
 Auxilietur opus Christi clementia sanctum,
 Auxilientur opus caelestes, quaeso, ministri,
 30 Sanctorumque simul numerus, precor, adiuuet illud.
 Daudid amat Christum, Christus est gloria Daudid.
 Surge, meis caris dulces fac, fistula, uersus.
 Inclite, cur taceam, iuuenis te, Carle, camenis?
 Tu quoque magnorum sobolis condigna parentum,
 35 Tu decus es aulae, regni spes indolis almae,
 Quapropter laudat omnis te fistula uatum.
 Surge, meis caris dulces fac, fistula, uersus.
 Tu quoque sacra deo uirgo, soror inclita Daudid,
 Carmine perpetuo nostro iam Gisla ualeto.
 40 Te, scio, sponsus amat, caelorum gloria Christus,
 Nam cui tu soli semper tua membra dicasti.
 Surge, meis caris dulces fac, fistula, uersus.

Theodulf Orleánský, *De libris quos legere solebam*

Namque ego suetus eram hos libros legisse frequenter,
 Extitit ille mihi nocte dieque labor.
 Saepe et Gregorium, Augustinum perlego saepe,
 Et dicta Hilarii seu tua, papa Leo.
 5 Hieronymum, Ambrosium, Isidorum, fulvo ore Iohannem.
 Inclite seu martyr te, Cypriane pater.
 Sive alios, quorum describere nomina longum est,
 Quos bene doctrinae vexit ad alta decus.
 Legimus et crebro gentilia scripta sophorum,
 10 Rebus qui in variis eminuere satis.
 Cura decens patrum nec erat postrema piorum,
 Quorum sunt subter nomina scripta, vide:
 Sedulius rutilus, Paulinus, Arator, Auitus,
 Et Fortunatus, tuque, Iuence tonans;
 15 Diversoque potens prudenter promere plura
 Metro, o Prudenti, noster et ipse parens.
 Et modo Pompeium, modo te, Donate, legebam,
 Et modo Virgilium, te modo, Naso loquax.
 In quorum dictis quamquam sint frivola multa,
 20 Plurima sub falso tegmine vera latent.
 Falsa poetarum stilus affert, vera sophorum,
 Falsa horum in verum vertere saepe solent.
 Sic Proteus verum, sic iustum Virgo repingit,
 Virtutem Alcides furtaque cacus inops.
 25 Verum ut fallatur, mendacia mille patescunt,
 Firmiter hoc stricto pristina forma redit,
 Virginis in morem vis iusti inlaesa renidet,
 Quam nequit iniusti conmaculare lues.
 Gressibus it furum fallentum insania versis,
 30 Ore vomunt fumum probra negando tetrum.

Vis sed eos mentis reteggit perimitque quatitque,
 Nequitia illorum sic manifesta patet.
 Fingitur alatus, nudus puer esse cupido,
 Ferre arcum et pharetrum, toxica tela, facem.
 35 Quod levis, alatus, quod aperto est crimine, nudus
 Sollertique caret quod ratione, puer.
 Mens prava in pharetra, insidiae signantur in arcu,
 Tela, puer, virus, fax tuus ardor, Amor.
 Mobilis, levius quid enim vel amantibus esse
 40 Quit, vaga mens quorum seu leve corpus inest?
 Quis facinus celare potest, quod Amor gerit acer,
 Cuius semper erunt gesta resecta mala?
 Quis rationis cum spiris vincire valebit,
 Qui est puer effrenis et ratione carens?
 45 Quis pharetrae latebras poterit penetrare malignas,
 Tela latent utero quot truculenta malo?
 Quo face coniunctus virosus prosilit ictus,
 Qui volat et perimens vulnerat, urit, agit?
 Est sceleratus enim moechiae daemon et atrox,
 50 Ad luxus miseros saeva barathra trahens.
 Decipere est promptus semperque nocere paratus,
 Daemonis est quoniam vis, opus usus ei.
 Somnus habet geminas, referunt ut carmina, portas,
 Altera vera gerit, altera falsa tamen.
 55 Cornea vera trahit, producit eburnea falsa,
 Vera vident oculi, falsa per ora meant.
 Rasile nam cornu, tener et translucet ocellus,
 Obtunsumque vehit oris hiatus ebur.
 Non splendorem oculis, non sentit frigora cornu,
 60 Par denti atque ebori visque colorque manet.
 Est portis istis virtus non una duabus,
 Os fert falsa, oculus nil nisi vera videt.
 Pauca haec de multis brevibus constricta catenis
 Exempli causa sit posuisse satis!

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler. München 1978, s. 543.

Theodulf Orleánský, *Vlastní epitaf*

Hesperia genitus, hac sum tellure sepultus,
 Divisis spatiis lux obitusque patent.
 Sub Carolo Magno terrarum principe partes
 Has petii, civis clarus in arte fui.
 5 Ille quidem celebris cunctis in finibus orbis
 Prae reliquis solus regibus unus erat;
 Francus, ingenuus, virtutum dote coruscus,
 Sublimis, placidus, terribilisque, pius,
 Cuius multiplici pollebat gratia luce,
 10 Qui populi post se corda trahebat ovans.
 Cuius enim tanta captus dulcedine veni,
 Deserui patriam, gentemque, domumque, laremque.
 Sub quo praeclaros gessi feliciter annos,

Praesul et abbatis libera claustra tenens.
 15 Donec in agrum Ludovicus iure paternum
 Successit, factus credulus, heu nimium!
 Qui delatorum contra me falsa nocentum
 Suscepit verba, quam pius certe mihi.
 Is me tunc claustris servari iusserat heros,
 20 Unde quidem voluit me revocare, satis
 Redderet ut memet proprio miseratus honori,
 Quem vis eripuit dudum aliena mihi.
 Sed suprema dies iussu delata tonantis,
 Hac memet voluit ponere corpus humo.
 25 Hac peregrina igitur Theodulphus condor arena,
 Nec licuit proprio condere membra loco.
 Aurelianus erat sedes mihi, cuius in oris
 Inter oves vellem ossa locanda meas.
 Sed quia iudicio domini meruisse sepulcrum
 30 Istud praesumo, hic habitare volo,
 Donec divino surgam de pulvere iussu.
 Venturus vultus iudicis ante mei.
 Ille meam novit quanto sit pondere causam,
 Seduci nullis quem scio posse dolis.
 35 Nunc pro me precibus supplex rogo, poscite cuncti,
 Optatam famulo ut mihi det veniam
 "Theodulphi famuli", devota mente dicatis.
 "Christe, tui, petimus, rex miserere deus".

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler. München 1978, s. 444.

Versus Angilberti

I.

Hic Augustini Aurelii pia dogmata fulgent,
 Quae de doctrina edidit almifica.
 Haec tibi multa docent, lector, quod quaeris honeste,
 Si replicare cupis scripta sacrata libri.
 5 Huius enim corpus, parvum quod cernitur esse,
 Continet insertos quattuor ecce libros.
 Primus enim narrat Christi praecepta tenere,
 Quae servare deus iussit in orbe pius:
 Rebus uti saeculi insinuans praesentibus apte
 10 Aeternisque frui rite docet nimium.
 Edocet ex signis variis rebusque secundus,
 Qualiter aut quomodo noscere signa queant.
 Tertius ex hisdem signis verbisque nitescit:
 Quid sint, quid valeant quaeque vitanda, canit.
 15 Tunc promit quartus librorum dicta priorum:
 Quid res, quid signa, quid pia verba docent,
 Qualiter et possint cuncta intellecta referre,
 Magno sermone intonat ipse liber.
 Summisse, pariter moderate, granditer atque,

20 Lector, perlecta dic: Miserere deus.
Hunc abbas humilis iussit fabricare libellum,
Angilbertus enim vilis et exiguus,
Quem daret ille pio caelesti numine fulso
Hlodoico regi, qui est pius atque humilis,
25 Qui sanctae sophiae certat rimare secreta
Nobilis ingenio nocte dieque simul,
Quique etiam domini ac fratris praeclarus amator
Ingenti dictu permanet ore pio.
Quem deus omnipotens multos feliciter annos
30 Glorificet, servet, diligat, ornet, amet.

I.

*Augustin Aurelius ty zbožné poučky sepsal -
učí nás křesťanské víře, ty se teď před tebou stkví.
Na mnohé, na co se zvidavě ptáváš, zde odpověď najdeš,
pokud se k textu vracíš, stále znova jej čteš.
Celé dílo se nezdá být rozsahem přesřilíš velké,
skládá se ze čtyř knih, svůj obsah má každá z nich:
první kniha je o zásadách, jež přinesl Kristus,
na něž má člověk dbát, jak to přikázal Bůh:
věci světa a života zde jen užívat smíme
a jenom z věcí věčných lze mít i potěšení.
Na různých věcech a znacích ti předvádí ve druhé knize,
kdy, jak a podle čeho můžeme rozpoznat znak.
Ve třetí knize potom se jedná o slovních znacích:
o slovu, významech slova, též, kterým vyhnout se máš.
Čtvrtá kniha se vrací k tomu, co v předchozích bylo:
co jsou věci, co znaky, jaké jsou významy slov,
jak se má předávat lidem ten význam, jež odhalils v textu,
důležitá je řeč, která v té knize nám zní.
Za všechno, co jsi zde četl, ať ve stylu vznešeném, střídém,
nebo konečně skromném, Bohu vzdej chválu a dík.
Malý, nepatrný a nehodný Angilbert opat
přikázal v pokoře srdce pořídít opis těch knih.
chce je dát králi Ludvíkovi, jenž na boží pomoc
spoléhá, pokorně vládne, zbožně a svatě je živ,
s úpornou pilí své vznešené duše se v noci i ve dne
snaží proniknout taje Moudrosti, posvátných věd.
On má ve věrné lásce i Pána i svého bratra,¹⁸
to o něm říkají zbožní, takovou pověst on má.
Pán Bůh všemohoucí ať dává mu po dlouhá léta
slávu, ochranu svou, lásku, krásu i lesk.*

překlad Jany Nechutové

II.

¹⁸ Strecker v komentáři k edici: "Ad quem pertineat, non constat. Traube de Pippinio cogitat, quo Angilbertus familiariter utebatur." (MGH Poetae Latini medii aevi IV, 3. s. 916).

Haec perlecta pii, lector, doctrina patroni,
 In primis domino, totum qui condidit orbem,
 Devote laudes iugiter perfunde benignas,
 Qui mare fundavit, caelum terramque creavit,
 5 Omnia qui numero, mensura ac pondere clausit,
 Per quem cuncta manent vel per quem cuncta manebunt,
 Quae sunt, quae fuerant, fuerint vel quaeque futura.
 Ipso iterum magnas domino perfundito grates
 Pro tali ac tanto, casto doctoque magistro,
 10 Ordine sub digno scripsit qui talia nobis.
 Chlodvici regis precibus memorare benignis,
 Nomine qui est dignus divino ac munere fretus,
 Laudibus almificis, ingenti et mole coruscans.
 Cui deus omnipotens multos feliciter annos
 15 Hic pie concedat felicia regna tenere;
 Cum quo coniugium, prolem cunctosque fideles
 Dignetur regere caelorum rector ab axe,
 Et post hunc cursum caelestia scandere regna
 His tribuat dominus, cunctorum conditor almus.
 His ita perlectis curvatis undique membris,
 Lector, dignanter haec verba micantia prome:
 "Gloria sit patri, solio qui fulget in alto,
 Filius aeternus cum quo est et spiritus almus,
 Nomine qui trino regnans super omnia solus."

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi IV, 3. Ed. K. Stecker. Berolini 1964. s. 915-916.

II.

*Když jsi již přečetl poučení, jež zbožný náš mistr
 sepsal, především díky vzdej Stvořiteli a Pánu,
 slav jej životem celým a stále mu vzdávej svou chválu:
 On je původcem moře, on stvořil nebe i zemi,
 všemu stvoření určil rozměr jak mírou, tak vahou,
 skrze něj všechno trvá dosud i potrvá dále –
 - vše, co je, co kdy bylo, co bude kdy v budoucím věku.
 Jenom tomuto Pánu vzdávej vždy znovu své díky
 za toho zbožného, učeného a velkého mistra,
 který nám tohle všechno ve správném systému sepsal.
 Vzpomeň si v přímělných modlitbách také na Ludvíka krále,
 který je hoden chvály, jen do boží přízně se vydal,
 je plný cti a slávy a stkví se bohatstvím hojným.
 Ať mu Bůh všemohoucí zde na zemi dopřeje dlouhou
 vládu po mnohá léta ve štěstí, v rozkvětu, zdaru,
 ať tak Ten, který nebesa řídí, Ludvíkovi ráčí
 svěřit řízení manželky, dětí a všech věrných duší,
 a kéž mu potom, až život zde skončí, dá vystoupit k nebi,
 do svého království Pán, ten veliký stvořitel světa.
 Když jsi tak pilně četl, až bolí tě zkřivené údy,
 čtenáři, nakonec vyřkni, ta skvělá i patřičná slova:
 Sláva buď Bohu Otci, jenž trůní ve výši a v jasu,*

*spolu s ním jest pak Syn a nejinak také Duch svatý-
Bůh, který ve Trojím jménu jsa Jedním kraluje všemu.*

překlad Jany Nechutové

Carolus Magnus et Leo papa (vv. 53-87)

Strenuus ingenio Karolus, sapiensque, modestus,
Insignis studio, resplendens mente sagaci,
55 Nomen et hoc merito Karolus sortitur in orbe.
Haec cara est populis lux et sapientia terris;
Omne decus pariter famulis, ornatus et omnis
Exstat, honor populi et plebis spes gloria summa
Nominis. Hunc olim terris promisit origo
60 Tam clarum ingenio, meritis quam clarus opimis
Fulget in orbe potens, prudens gnarusque, modestus,
Inluster, facilis, doctus, bonus, aptus, honestus,
Mitis, praecipuus, iustus, pius, inclitus heros,
Rex, rector, venerandus apex, augustus, opimus,
65 Arbiter insignis, iudex, miserator egenum,
Pacificus, largus, solers hilarisque, venustus.
Grammaticae doctor constat praelucidus artis;
Nullo umquam fuerat tam clarus tempore lector;
Rethorica insignis vegetat praeceptor in arte;
70 Summus apex regum, summus quoque in orbe sophista
Exstat et orator, facundo famine pollens;
Inclita nam superat praeclari dicta Catonis,
Vincit et eloquii magnum dulcedine Marcum,
Atque suis dictis facundus cedit Homerus,
75 Et priscos superat dialectica in arte magistros.
Quattuor ast alias artes quae iure secuntur,
Discernit simili rerum ratione magistra;
Doctus in his etiamque modo rex floret eodem.
Solus iter meruit doctrinae adipiscier omne,
80 Occultas penetrare vias, mysteria cuncta
Nosse, deo seriem revelante ab origine rerum.
Omnem quippe viam doctrinae invenit et omnem
Artis opacum aditum secretaque clancula verba.
Omnia solus enim meruit pius ille talenta
85 Suscipere et cunctis praefertur in arte magistris:
Scilicet imperii ut quantum rex culmine reges
Excellit, tantum cunctis praeponitur arte.

Monumeta Germaniae historica, Poetae Latini medii aevi I. Ed. E. Dümmler, München 1978, s. 367-368.

Sol fugit interea, lucem nox occupat umbris;
325 Membra solo exoptant placidum defessa soporem.
Portentum rex triste uidet monstrumque nefandum
In somnis, summum Romanae adstare Leonem
Vrbis pontificem mestosque effundere fletus,
Squalentes oculos, maculatum sanguine uultum,
330 Truncatam linguam horrendaque multa gerentem

- Vulnera. Sollicitos gelidus pauor occupat artus
 Augusti. Rapidos Romana ad moenia missos
 Tres iubet ire, foret si sanus pastor opimus
 Explorare gregis; quid tristia somnia signent
 335 Miraturque; piam curam gerit ille fidelem.
 Festinant rapidis legati passibus; ipse
 Saxoniam repetit cum multis milibus heros.
 Agmina conueniunt diuersis partibus orbis,
 Cognataeque acies properant super ardua Rheni
 340 Litora, Saxonum populum domitare rebellem
 Et saeuam gelido gentem rescindere ferro.

Einhardus, *Vita Caroli Magni*

25. Erat eloquentia copiosus et exuberans poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, etiam peregrinis linguis ediscendis operam impendit. In quibus Latinam ita didicit, ut aequae illa ac patria lingua orare sit solitus; Graecam vero melius intellegere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, ut etiam dicaculus appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus magnis adiciebat honoribus. In discenda grammatica Petrum Pisanum diaconem senem audivit, in ceteris disciplinis Albinum cognomento Alcoinum, item diaconem, de Britannia Saxonici generis hominem, virum undecumque doctissimum, praeceptorem habuit; apud quem et rhetoricae et dialecticae, praecipue tamen astronomiae ediscendae plurimum et temporis et laboris impertivit. Discebat artem computandi et intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Temptabat et scribere tabulasque et codicillos ad hoc in lecto sub cervicalibus circumferre solebat, ut, cum vacuum tempus esset, manum litteris effigiendis adsuesceret. Sed parum successit labor praeposterus ac sero inchoatus.

26. Religionem christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime et cum summa pietate coluit; ac propter hoc plurimae pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit auroque et argento et luminaribus atque ex aere solido cancellis et ianuis adornavit. Ad cuius structuram cum columnas et marmora aliunde habere non posset, Roma atque Ravenna devehenda curavit. Ecclesiam et mane et vespere, item nocturnis horis et sacrificii tempore, quoad eum valitudo permiserat, impigre frequentabat, curabatque magnopere, ut omnia, quae in ea gerebantur, cum quam maxima fierent honestate, aedituos creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permetterent. Sacrorum vasorum ex auro et argento vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis ne ianitoribus quidem, qui ultimi ecclesiastici ordinis sunt, privato habitu ministrare necesse fuissent. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus, quamquam ipse nec publice legeret nec nisi submissim et in commune cantaret.

Monumenta Germaniae historica SS rer. Germ. XXV. Ed. G. H. Pertz et G. Waitz. Hannoverae et Lipsiae 1911. s. 30-31.

Einhardus, *Dopis Hrabanu Maurovi*

Reverentissimo Christi famulo Hrabano venerabili abbati E(inhardus) p(eccator).

Quidam homo vester nomine Gundhartus rogavit nos pro se apud vestram sanctitatem intercedere, ut sine offensione vestra, immo cum gratia vestra sibi liceat iter exercitale, quod praesenti tempore agendum est, omittere ac domi remanere, asserens se ad hanc remansionem magna cogi necessitate pro eo, quod faidosus sit et cum inimicis suis et his, qui vitae eius

insidiantur, hoc iter agere non audeat, praesertim cum illo comite, cum quo ire iubetur: quem sibi dicit esse inimicissimum. Ideo rogat, ut eum in tantum periculum vestrae iussionis auctoritas non impellat; sibi curae esse seque providere, ut cum exactore heribanni, si venerit et eum compellaverit, sine vestro labore se pacificet. Non vos rogarem de hac causa, nisi angustias eius atque pericula comperta haberem.

Opto, ut semper bene valetis.

(in: *Vox Latina III*, p. 46, ed. O. Stange/P. Dittrich, Leipzig 1924)

Iohannes Diaconus, *Vita Gregorii papae (l. II)*

6. Deinde in domo Domini, more sapientissimi Salomonis, propter musicae compunctionem dulcedinis, Antiphonarium centonem cantorum studiosissimus nimis utiliter compilavit; scholam quoque cantorum, quae hactenus eisdem institutionibus in sancta Romana Ecclesia modulatur, constituit; eique cum nonnullis praediis duo habitacula, scilicet alterum sub gradibus basilicae beati Petri apostoli, alterum vero sub Lateranensis patriarchii domibus fabricavit, ubi usque hodie lectus ejus, in quo recubans modulabatur, et flagellum ipsius, quo pueris minabatur, veneratione congrua cum authentico Antiphonario reservatur, quae videlicet loca per praecepti seriem sub interpositione anathematis ob ministerii quotidianam utrobique gratiam subdivisit.

7. Hujus modulationis dulcedinem inter alias Europae gentes Germani seu Galli discere crebroque rediscere insigniter potuerunt, incorruptam vero tam levitate animi, quia nonnulla de proprio Gregorianis cantibus miscuerunt, quam feritate quoque naturali, servare minime potuerunt. Alpina siquidem corpora, vocum suarum tonitruis altisone perstreptentia, susceptae modulationis dulcedinem proprie non resultant, quia bibuli gutturis barbara feritas, dum inflexionibus et repercussionibus mitem nititur edere cantilenam, natarali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confuse sonantia rigidas voces jactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo conturbat.

8. Hinc est quod hujus Gregorii tempore cum 48 Augustino tunc Britannias adeunte, per Occidentem quoque Romanae institutionis cantores dispersi, barbaros insigniter docuerunt.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 75, 90-91.

Hrabanus Maurus, *Hymnus in Pentecosten*

Veni, creator spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia,
Quae tu creasti, pectora.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Qui paracletus diceris,
Donum Dei altissimi
Fons vivus, ignis, caritas
Et spiritalis unctio.

Hostem repellas longius
Pacemque dones protinus,
Ductore sic te praevio
Vitemus omne noxium.

Tu septiformis munere,
Dextrae Dei tu digitus,
Tu rite promisso patris
Sermone ditans guttura.

Per te sciamus, da, patrem
Noscamus atque filium,
Te utriusque spiritum
Credamus omni tempore.

Praesta pater piissime
Patrique compar unice,
Cum spiritu paraceto
Regnans per omne saeculum.

Anal. hymn. L, 193, 80.

Hrabanus Maurus, *Aeterne rerum conditor*

1. Aeterne rerum conditor,
Et clarus mundi formator,
Deus in adiutorium
Intende tu humilium;
Cordeque tibi deuotum,
Festina in auxilium.
2. Da mentis fida regmina,
Ac uerbi clara munera;
Da uota cordis optima,
Et facti dona plurima;
Sensum corde purissimum,
Famen ore pacificum.
3. Vt tuam laudem famine
In primis possim dicere,
Magnam, miram ac praeclaram,
Digna uoce iustissimam;
Meaeque sim miseriae
Compunctus memor ultimae.
4. Deus salus credentium,
Deus uita uiuentium,
Deus deorum omnium,
Deus et princeps principum,
Deus summus amabilis,
Deus inaestimabilis.
5. Altus prosator, uetustus
Dierum, et ingenitus,
Eras absque origine
Primordii et crepidine:
Qui es, eris in saecula
Saeculorum infinita.
6. Cui est unigenitus
Christus proles carissimus

Dicentis de corde uerbum,
Satum ante Luciferum;
Coaeternus in gloria
Deitatis perpetua.

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi II, Ed.E. Dümmler, München 1978, s. 197nn.

Walafridus Strabo, *Visio Wettini* (vv 22-26, 787-801)

Rhenus ab Ausoniis quo ducitur Alpibus, aequor
Miscet, in occiduis diffusus partibus, ingens.
Illius in medio suspenditur insula fluctu,
25 Augia¹⁹ nomen habens, iacet hanc Germania circa.
Haec solet egregias monachorum gignere turmas.

Ze závěru:

Anděl pronesl delší napomenutí církvi proti neřestem kněží a přikázal Wettimu, aby to vše lidem řekl:

Haec", ait, "ex factis homines commertia pravis
Accipiunt, damnatque reos sententia grassans.
Significatque diem mundo properare futurum,
790 Terminus ut tandem ponatur in ordine saeculi".
Ecce, dies veniet, nostrum sit quisque paratus,
Ecce, venit dominus, nostros ut congreget actus,
Iam vigilare decet, veniens ut quemque coronet.
Praecipue ammonuit divinis laudibus omnes
795 Conatu servire bono studioque sagaci,
Praeciens, ut nemo gravi torpore subactus
Neglegat assiduas domino persolvere laudes,
Ecclesiaeque decus celebretur ut ordine sancto,
Sollicitus propriam quaerit quicumque salutem,
800 Haec agat et sese poterit subducere flammis:
Non eget his dominus, sed nos ut agamus, egemus.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 114, 1065 a 1079.

*A říká: „Takovouto odplatu obdrží lidé za své zlé skutky,
Viníky postihne tvrdý soud.“*

Naznačí, že světu brzy nadejde poslední den,

Aby se celý běh světa dočkal svého cíle.

„Hle, nadejde den, a každý z nás by měl být připraven,

Hle, přijde Pán, a shrne naše skutky,

Je nutné bdít, aby Pán každého z nás korunoval slávou.“

Zvláště potom všechny napomenul, aby Bohu sloužili

Stálými chválami a snažili se o dobré skutky,

A přikázal, aby se nikdo nedal svést k línému spaní

A aby nepřestal stále chválit Boha,

Aby kněží v církvi řádně sloužili

A každý aby si pilně hleděl starosti o svou spásu –

¹⁹ Reichenau

- to aby lidé činili a vyhnuli se tak pekelnému ohni.
Nepotřebuje to od nás Pán, ale my máme zapotřebí to činit.

Walafrius Strabo, *De cultura hortorum*

IX. Foeniculum

(Foeniculum vulgare Miller)

Nec maratri taceatur honor, quod stipite forti
Tollitur, et late ramorum brachia tendit,

Dulce satis gustu dulcem satis addit odorem.
Hoc oculis, quos umbra premit, prodesse locuntur,
Huius item semen foetae cum lacte capellae
Absumptum ventris fertur mollire tumorem
Cunctantisque moras dissolvere protinus alvi.

Praeterea radix maratri commixta liquori
Lenaeo tussim percepta repellit anhelam.

XVI. Menta

(Mentha aquatica L. et Mentha crispa L.)

Nec mihi defuerit vulgaris copia mentae

Multa per et genera et species diversa coloresque
Et vires: huius quoddam genus utile vocem
Raucisonam claro rursus redhibere canori
Posse putant, eius sucos si fauce vorarit
Ieiuna, quem crebra premens raucedo fatigat.

Est aliud praepingue genus huiusce fructecti,
Quod iam non parvi diffundat germinis umbras,
Celsa ebuli sed more petens a stipite forti
Undique maiores foliorum prorogat alas,
Quis odor alter inest pauloque immitior haustus.

Sed si quis vires speciesque et nomina mentae
Ad plenum memorare potest, sciat ille necesse est,
Aut quot Eritreo volitent in gurgite pisces,
Lemnius aut altum quot in aera Mulcifer ire
Scintillas vastis videat fornacibus Aetnae.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 114, 1125 a 1126-1127.

Gotšalk, *Carmina*

Carmen I, 1

1. Christe, mearum
Lux tenebrarum,
Memet in atrum
Criminis antrum
Siue baratrum
Suscipe lapsum.

2. Vnde per alium
Te rogo flatum,
Nobile uerbum,
Qui regis ipsum
Cum patre mundum,
Compar in aeuum:
3. Erue Seruum
Valde misellum,
Pelle piaculum,
Tolle reatum,
Dirige gressum,
Redde paratum.

Carmen I, 3

1. Christe, rex regum dominans in aeuum
Lumen aeternum, patris atque uerbum
Qui regis cunctum pietate mundum
Factor egentum,
2. Flebilem multum miserere seruum,
Mente corruptum recreans alumnum
Sis memor dudum tibi recreatum
Atque redemptum.
3. Fac mihi signum, pie rex, benignum,
Quin et indignum, rogo, redde dignum
Vt canam laudum tibi, Christe, metrum
Nunc et in aeuum.
4. Corrigas ipsam, precor, alme uitam
Fraude deuictam, uitis que tritam
Vt tibi dignam deus obsequelam
Iam modo soluam
5. Tende praecelsam, peto sancte, dextram
Et fuga foedam uariamque lepram,
Pelle iam noxam, nimium nociuam
Delue culpam.
6. Ex pia uernam reparando formam
Exhibe, gratam citius medeleam
Forte ne tetram ruar in gehennam
Daemone plenam.
7. Nempe tu pridem, deus, hinc in orbem
Veneras omnem recreare plebem
Omnibus pacem populisque lucem
Ferre perennem.
8. Tuque mortalem deus, alme, carnem
Sumpseras idem, homo factus autem
Fuderas dulcem simul et salubrem
Sponte cruorem.

9. Hancque per mortem religando mortem
Liberas omnem reparator orbem,
Vasa caelestem reuehens ad arcem
Rege nitentem
10. Tanta tu, pastor pariterque doctor
Perpes adiutor, iugis atque tutor,
Feceras, ductor, sator et redemptor,
Lucis et auctor.
11. Sis mihi factor, mihi sis et altor
Esto protector iugiter rector,
Esto defensor, necis o peremptor,
Semper et ultor.
12. Esto saluator, simul et ducator,
Sis gubernator, uelut est creator,
Sis triumphator mihi siue uictor
Et superator.

Carmen I,6 Ut quid iubes

1. Ut quid iubes, pusiole,
Quare mandas, filiole,
 Carmen dulce me cantare,
 Cum sim longe exul valde
 Intra mare?
 O cur iubes canere?
2. Magis mihi, miserule,
Flere libet, puerule,
 Plus plorare quam cantare
 Carmen tale, iubes quale,
 Amor care.
 O cur iubes canere?
3. Mallem scias, pusillule,
Ut velles tu, fratercule,
 Pio corde condolere
 Mihi atque prona mente
 Conlugere.
 O cur iubes canere?
4. Scis, divine tyruncule,
Scis, superne clientule,
 Hic diu me exulare,
 Multa die sive nocte
 Tolerare.
 O cur iubes canere?

5. Scis captive plebicule
 Israheli cognomine
 Praeceptum in Babilone
 Decantare extra longe
 Fines Iude.
 O cur iubes canere?
6. Non potuerunt utique,
 Non debuerunt itaque
 Carmen dulce coram gente
 Aliene nostri terre
 Resonare.
 O cur iubes canere?
7. Sed quia vis omnimode,
 Consodalis elegie,
 Canam patri filioque
 Simul atque procedente
 Ex utroque.
 Hoc cano ultronee.
8. Benedictus es, domine,
 Pater, nate, paraclite,
 Deus trine, deus une,
 Deus summe, deus pie,
 Deus iuste.
 Hoc cano spontanee.
9. Exul ego diuscule
 Hoc in mare sum, domine:
 Annos nempe duos fere
 Nosti fore, sed iam iambe
 Miserere.
 Hoc rogo humillime.
10. Interim cum pusione
 Psallam ore, psallam mente,
 Psallam voce <psallam corde,>
 Psallam die, psallam nocte
 Carmen dulce.
 Tibi, rex piissime.

Monumenta Germaniae hitorica, Poetae Latini Medii aevi III. Ed. L. Traube, München 1978, s. 731-732.

Carmen II, 1

1. O mi custos, o mi heros, mi pater misericors,
 Flecte, precor, ad me tuos miseranter oculos
 Lucem super omnem pulchros, super solem splendidos.

2. Tuque, mi redemptor, Christe, fili patris optime,
Dignare tuo cum patre me, quaeso, respicere,
Vt respectus possim flere miser amarissime.
3. Tuque, spiritus o sancte, pie mi paraclite,
Qui ex patre filioque procedis assidue,
Me tuo misellum more conturbandum commoue.
4. Noui namque me peccasse contra te gratissime,
Sicut die, ita nocte, corde, ore, opere;
Laborauit semper ualde te, deus, offendere.
5. Laborauit, inquam, ualde plura mala facere,
Quam sint homines in orbe, quam astra in aethere,
Vel quam pisces intra mare, arena in litore.
6. Volo unde nunc lugere, sed non possum, domine;
Sine te quiui peccare, sed nequeo plangere,
Sine te sum lapsus male, sed non possum surgere.

Versus

- Ante secula es benignus, mitis, potens, ualidus.
- 64 In quemcumque enim spiras, statim hunc uiuificas,
Cum patre, cum prole tonas, regis et illuminas,
Gratiam cui uis donas, solidas et uegetas.
 - 65 Quos placet, benigne uocas, uocatos sanctificas,
Humiles pius exaltas et altos humilias,
Inmundosque quos uis mundas, impuros purificas.
 - 66 Quid plura? leprosos purgas, impios iustificas,
Cum patre proleque cunctas quas uis mentes recreas
Insuper et recreatas pariter glorificas.
 - 67 Quamobrem te, deus pie, postulo humillime,
Cito mihimet succurre cum patre, cum sobole,
Et oui nimis infirme gratiam iam tribue.
 - 68 Da, precor, in te clamare „abba, pater, domine“
Necnon atque „Iesu Christe“ simul, quaeso, dicere
Quin et te „o flatus alme“ uocare humillime.
 - 69 Da timere, da amare, da frequenter colere
Patrem, prolem, sanctum atque da flatum diligere
Toto corde, tota mente toto necnon pectore.
 - 70 Esto mihi timor ingens atque amor uehemens,
Diligam te nimis timens timeamque diligens
Seruiamque contremiscens, contremiscam seruiens.
 - 71 Exue me, peto, meis, domine, flagitiis,
Quibus te offendi nimis retro actis seculis,
Et nunc quoque plura priscis addo noua maculis.

- 72 Deduc me in uiam pacis, cum obire iusseris,
Portioque mihi lucis tunc patescat perpetis,
Merear et cum beatis te laudare angelis.
- 73 Gloria, laus, honor patri, proli ac spiritui
Ex ambobus procedenti ante orsa seculi,
Trinitati lux perenni, unitati perpeti.

Notker Balbulus, *In Nativitate Domini*

1. Natus ante saecula
Dei filius,
Invisibilis,
Interminus,
2. Per quem fit machina
Caeli et terrae,
Maris et in his
Degentium,
3. Per quem dies
Et horae labant
Et se iterum reciprocant,
4. Quem angeli
In arce poli
Consona semper canunt,
5. Hic corpus assumpserat
Fragile
Sine labe
Originalis criminis
De carne Mariae virginis,
Quo primi parentis culpam
Evaeque lasciviam
Tergeret.
6. Hoc praesens diecula
Loquitur
Praelucida,
Adaucta longitudine,
Quod sol verus radio sui
Luminis vetustas mundi
Depulerit genitus
Tenebras.
7. Nec nox vacat genetrix,
Sideris luce,
Quod magorum oculos
Terruit scios.
8. Nec gregum magistris
Defuit lumen,
Quos perstrinxit claritas
Militum Dei.

9. Gaude, Dei genetrix,
Quam circumstant
Obstetricum vice
Concinentes
Angeli
Gloriam Deo.
10. Christe, patris unice,
qui humanam
nostri causa formam
assumpsisti,
refove
supplices tuos.
11. Et quorum
Participem te fore
Dignatus es, Iesu,
Dignanter eorum
Suscipe preces,
12. Ut ipsos
Divinitatis tuae
Participes, Deus,
Facere digneris,
Unice Dei.

G. M. Dreves, Ein Jahrtausend Lateinischer Hymnendichtung, I, Leipzig 1919, s. 104-105.

Casus sancti Galli

De Notkero, Ratperto, Tuotilone, quoniam quidem cor et anima una erant, qualia tres quasi unus fecerint, quantum a patribus audivimus, narrare incipimus. Hi tres, quamvis votis essent unicordes, natura tamen, ut fit, erant dissimiles. Notker corpore non animo gracilis, voce non spiritu balbulus, in divinis erectus, in adversis patiens, ad omnia mitis, in nostratium acer erat exactor disciplinis; ad repentina timidulus et inopinata, praeter daemones infestantes, erat; quibus quidem se audenter opponere solebat. In orando, legendo, dictando creberrimus. Et ut omnes sanctitatis eius in brevi completar dotes, sancti spiritus erat vasculum, quo suo tempore abundantius nullum.

At Tuotilo longe aliter bonus erat et utilis. Homo lacertis et omnibus menbris sicut Fabius athletas eligere docet; erat eloquens, voce clarus, caelaturae elegans et picturae artifex, musicus sicut socii eius; sed in omnium genere fidium et fistularum prae omnibus. Nam et filios nobilium in loco ab abbate destinato fidibus edocuit. Nuntius procul et prope sollers; in structuris et ceteris artibus suis efficax, concinnandi in utraque lingua potens et promptus natura, serio et ioco festivus, adeo ut Karolus noster aliquando ei maledixerit qui talis naturae hominem monachum fecerit. Sed inter haec omnia, quod prae aliis est, in choro strenuus, in latebris erat lacrimosus; versus et melodias facere praepotens; castus, ut Marcelli discipulus, qui feminis oculos clausit.

Ratpertus autem inter ambos quos diximus medius incedebat. Scholarum ab adulescentia magister, doctor planus et benevolus, disciplinis asperior; raro praeter fratres pedem claustro promovens, duos calceos annum habens, excursus mortem nominans; saepe Tuotilonem itinerarium ut se caveret amplexibus monens. In scholis sedulus, plerumque cursus et missas neglebat, „bonas,“ inquit, „missas audimus cum eas agi docemus.“ Qui

cum labem maximam claustrum impunitatem nominasset, ad capitulum tamen nonnisi vocatus venit, cum sibi officium capitulandi et puniendi gravissimum, ut ait, sit traditum.

Tales cum essent tres isti nostrae rei publicae senatores – quod semper doctorum est et utilium – ab otio vacantibus et in levitate ambulantiis detractiones et dorsiloquia patiuntur assidua; sed maxime, quia minus refellere solebat, sanctus, ut vere asseram, domnus Notkerus. Tuotilo quidem at Ratpertus acriores talibus minusque ad contumelias habiles, rarius ab eis laedebantur; Notkerus autem, hominum mitissimus, quid iniuriae essent in semetipso didicit. De quibus pluribus unum aliquem, ut quantum Satanus in talibus praesumat ab uno discas omnes, introducere volumus. Erat hic quidem refectorarius nomine Sindolfus, postremo autem fictis obsequelis, cum alias in nullo esset utilis, accusans fratres criminibus coniectis, a Salomone operariorum positus est decanus. Enimvero cum esset refectorarius pro commodis incommoda, quibus ausus erat, exhibebat; prae ceteris autem Notkerus. Salomone autem in plurimis occupato nec adtendere ad singula sufficienti, alimonia interdum fratribus cum aut detraheretur aut depravaretur, clamabant plures pro iniustitia; inter quos aliquando etiam pres quos dicimus isti aliqua locuti parebant.

Erat tribus illis inseparabilius consuetudo permissio quidem prioris in intervallo laudum nocturno convenire in scriptorio collationesque tali horae aptissimas de scripturis facere. At Sindolfus, sciens horam et colloquia, quadam nocte fenestrae vitreae cui Tuotilo assederat clandestino foris appropriat, aureque vitro affixa, si quid rapere posset quod depravatum episcopo traderet auscultabat. Senserat illum Tuotilo, homo pervicax lacertisque confusus, latialiterque, quo illum qui nihil intellexeret lateret, compares alloquitur. „Adest ille,“ inquit, „et aurem fenestrae affixit. Sed tu, Notker, quia timidulus es, cede in ecclesiam, Ratperte autem mi, rapto flagello fratrum, quod pendet in pyralli, deforis accurre. Ego enim illum, cum appropinquare te sensero, vitro citissime redaperto, captum capillis ad meque pertractum violenter tenebo. Tu autem, anime mi, confortare et esto robustus, flagelloque illum totis viribus increpita, et Deum in illo ulciscere.

Ille vero, sicut semper erat ad disciplinas acutissimus, modeste exiens, rapto flagello, cucurrit celerrimus, hominemque intra capite tractum, totis viribus a dorso ingradinat. Et ecce ille manibus pedibusque renisus, flagellum incussum capiens tenuit; at ille virgam propius aspectam rapiens, ictus ei validissimos infregit. Cum autem parci sibi, male iam mulctatus, in cassum petisset: „Voce,“ inquit, „opus est,“ et exclamans vociferavit. At fratrum pars, voce audita tali tempore insolita, stupens accurrit luminibus et quidnam esset quaesivit. Tuotilo autem diabolum se cepisse creber ingeminans, lumen adhiberi rogat ut in cuius illum imagine teneret certius inspiceret. Capite autem inviti hac et illac ad inspicientes versato, si Sindolfus esset quasi nescius interrogat. Omnibus autem vere ipsum esse clamantibus et ut illum dimitteret rogantibus, relicto eo: „Me miserum,“ ait, „in auricularem et intimum episcopi manus misisse.“ Ratpertus vero, fratribus accurrentibus, in partem cedens clam se subduxit. Neque enim ipse qui passus est a quo caederetur scire poterat. Quaerentibus autem aliquibus ubinam domnus Notkerus Ratpertusque abissent: „Ambo,“ inquit, „ad opus Dei, diabolum sentientes, abierunt, meque cum illo in negotio perambulante in tenebris dimiserunt. Vere autem omnes scitote angelum Domini ictus ei manu sua incussisse. Discendentibus tandem fratribus, a partium sectatoribus surgunt, ut fit, multiloquia; alii Dei iudicio, ut auscultatores clandestini publicarentur factum dicebant; alii autem tali viro, nisi quod angelum Dei praetendit, tale opus non decuisse. Occultabat autem se confractus ille corporis pariter et mentis dolore.

St. Gallische Geschichtsquellen II, Ratperti casus s. Galli. Ed. G. Meyer von Knonau, S. Gallen 1872.

Sedulius Scotus, *Carmina II, 9*

Nos sitis atque fames conturbat, bestia duplex,
 Vulnificis rostris nos laceratque suis.
 Nec nos oblectat praedives copia rerum,
 Sed nos excruciat horrida pauperies;
 5 Nec nos oblectant dulciflua dona Liei
 Mellifluusque medus domata nostra fugit;
 Nec nos oblectat cacavis biscoctaque Mosa,
 Flavicomae Cereris gratia dulcis abest.
 Tenuida nos macerat, crudelis bestia, sophos;
 10 Optime Christe, rogo, respice nos. domine:
 Nec gustu facilis, nulli potabilis ipsa
 Est quia nec Cereris dulcida progenies;
 Non est Iordanis, non amnis filia Mosae,
 Sed torrens Cedron turbidus hanc genuit.
 15 Haec sophicae mentis cunctas obnubilat artes,
 Laetitiam removet tristitiamque gerit;
 Flavicomum Cereris mentitur habere colorem:
 Di, talem terris hanc removete feram;
 Laetheo fluvio vosmet summergeite monstrum
 20 Seu Stigiis undis condite tale nefas,
 Illic quo valeat crudeles solvere poenas:
 Quae nos excruciat, praemia digna luat.
 Quid moror in verbis ventosque lacesso querelis?:
 O pater, has geminas, obsecro, vince feras;
 25 Large salutiferum contra vulnuscula, praesul,
 Sedulio famulo da cataplasma tuo.
 Ast his versicolis risit pius ille relectis
 Ac sphericis votis prospera cuncta dedit.

Sedulius Scotus, *Carmina II*, 74 (autoportrét)

Aut lego vel scribo, doceo scrutorve sophian:
 Obsecro celsithronum nocte dieque meum.
 Vescor, potio libens, rithmizans invoco Musas,
 Dormisco stertens: oro deum vigilans.
 5 Conscia mens scelerum deflet peccamina vitae:
 Parcite vos misero, Christe Maria, viro.

Monumenta Germaniae historica. Poetae Latini medii aevi III. Ed. L. Traube. Berolini 1896, s. 177-178 a 225.

Lupus de Ferrières, *Ep. I. Ad Einhardum*

Charissimo Eginhardo Lupus salutem.

Diu cunctatus sum, desiderantissime hominum, auderem necne excellentiae vestrae scribere.
 Et cum me ab hoc officio aliae rationabiles causae, tum etiam ea maxime deterrebat, quod
 posse id contingere videbatur, ut, dum vestram cuperem amicitiam comparare, offensam
 incurrerem. Scilicet quod praepropero et inusitato prorsus ordine ab ipso familiaritatis munere
 inchoaverim, qui nec primordia notitiae contigissem, ita vehementer aestuanti facilis et
 modesta et, quae sane philosophiam deceat, animi vestri natura tantae rei obtinendae spem
 tribuit. Verum ut aliquid rationis afferre videam: taceo quidem saecularium litterarum de
 amicitia sententias, ne, quoniam eis apprime incubuistis, Horatianum illud doctissimorum ore
 tritum merito accipiam *in silvam ne ligna feras*.

Deus certe noster nedum aliquam aspernandi amicos occasionem relinqueret, diligendos omnino inimicos praescripsit. Itaque patienter, quaeso, et benigne advertite animum, dum altius meas repeto cogitationes, ut nosse possitis quam hoc non perperam nec juvenili moliar levitate. Amor litterarum ab ipso fere initio pueritiae mihi est innatus, nec earum (ut nunc a plerisque vocantur superstitiosa) otia fastidio sunt. Et nisi intercessisset inopia praeceptorum et longo situ collapsa priorum studia pene interissent, largiente Domino meae aviditati satisfacere forsitan potuissem. Siquidem vestrā memoriā per famosissimum imperatorem Carolum – cui litterae eo usque deferre debent, ut aeternam ei parent memoriā – coeptā revocari aliquantum quidem extulere (*scil. “studia”*) caput satisque constitit veritate subnixum praeclarum dictum *honos alit artes*, et accenduntur omnes ad studia gloriae. Nunc oneri sunt, qui aliquid discere affectant; et velut in edito situs loco studiosos quosque imperiti vulgo aspectantes, si quid in eis culpae deprehenderint, id non humano vitio sed qualitati disciplinarum assignant, ita, dum alii dignam sapientiae palmam non capiunt, alii famam verentur indignam, a tam praeclaro opere destiterunt. Mihi satis apparet propter se ipsam appetenda sapientia, cui indagandae a sancto metropolitano episcopo Aldrico delegatus doctorem grammaticae sortitus sum praeceptaque ab eo artis accepi. Sic quoniam a grammatica ad rhetoricam et deinceps ordine ad caeteras liberales disciplinas transire hoc tempore fabula tantum est: cum tribus deinde auctorum voluminibus spatiari aliquantulum coepissem, et dictatus nostra aetate confecti displicerent, propterea quod ab illa Tulliana caeterorumque gravitate, quam insignes quoque christianae religionis viri aemulati sunt, oberrarent, venit in manus meas opus vestrum, quo memorati imperatoris clarissima gesta (liceat mihi absque suspitione adulationis dicere) clarissime litteris allegastis. Ibi elegantiam sensuum, ibi raritatem coniunctionum, quam in auctoribus notaveram, ibidemque non longissimis periodis impeditas et implicitas, ac modicis absolutas spatiis sententias inveniens amplexus sum.

Quare, cum et ante propter opinionem vestram, quam sapiente viro dignam imbiberam, tum precipue propter expertam mihi illius libri facundiam, desideravi deinceps aliquam nancisci opportunitatem, ut vos praesentes alloqui possem, ut quemadmodum vos meae parvitati vestra tum probitas sapientia fecerat claros, ita me vestrae sublimitati meus etiam erga vos amor et erga disciplinas studium commendaret, neque vero id optare desistam, quandiu ipse incolumis in hac vita vos esse cognovero. Quod posse contingere hoc magis in spem ducor, quo ex Gallia huc in Transrhenanam concedens regionem vobis vicinior factus sum. Nam a praefato episcopo ad venerabilem Rabanum directus sum, uti ab eo ingressum caperem divinarum Scripturarum: ergo cum ad vos iturum hinc eius nuntium comperissem, primo quasdam verborum obscuritates, a vobis uti elucidarentur, mittendas proposui; deinde praestare visum est, ut etiam hanc epistolam dirigere debuissim, quae si a vobis dignanter accepta fuerit, exoptabili me affectum munere gratulabor.

Sed semel pudoris transgressus limitem, etiam hoc postulo, ut quosdam librorum vestrorum mihi hic posito commodetis, quamquam multo sit minus libros quam amicitiam flagitare. Sunt autem hi: Tullii de rhetorica liber, quem quidem habeo, sed in plerisque mendosum, quare cum codice istic reperto illum contuli, et quem certiore putabam, mendosior inveni. Item eiusdem auctoris De rhetorica tres libri in disputatione ac dialogo De oratore; quos vos habere arbitror, propterea quod in brevi voluminum vestrorum post commemorationem libri ad Herennium interpositis quibusdam aliis scriptum repperi „Ciceronis de rhetorica“, item: „Explanatio in libros Ciceronis“, praeterea A. Gellii Noctium Atticarum, sed et alii plures in praedicto libro, quos, si Deus apud vos mihi gratiam dederit, istis remissis accipiens describendos mihi, dum hic sum, avidissime curare cupio.

Exonerate, quaeso, verecundiam meam, quae supplico, facientes, meque rimantem amaras litterarum radices earum iam iucundissimis explete fructibus, et illo vestro facundissimo

eloquio incitate. Quae si meruero, tantorum beneficiorum gratia, quoad vixero, semper mihi habebitur. Nam quae vos eorum merito sit remuneratio secutura, non opus est dicere.

Plurima scribenda in alia mens suggestit; sed vestrum ingenium meis ineptiis ultra remorari non debui...

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 119, 431-436.

Lupus Ferrariensis, Epistulae, MPL 119

Epistola 16. Ad Orsmarum metropolitanum Turonum

Reverentissimo Orsmaro metropolitano Lupus in Domino salutem.

Germani mei vestrique fidissimi relatione postquam mihi vestra opinio innotuit, miro semper ardeo desiderio experiri quod illius diligentia delectabiliter praelibavi; maximasque sanctitati vestrae ago et habeo gratias quod ultro certare beneficiis non fastidistis, memoratum fratrem episcopaliter excipiendo et benigne fovendo, parvitatem vero meam ad vestrum amorem sincerissimo affectu invitando. Quod an pura mente depromam facile vestra prudentia colliget, si facultatem demonstrandi divina unquam gratia nactus fuero. Interim quod jam didicimus quantum de vobis praesumere debeamus, impendio supplicamus ut commentarios Boetii in Topica Ciceronis, quod in chartacio codice sive, ut emendatius aliis dicendum videtur, chartinacio Amalricus in armario sancti Martini habet, obtentos ab eo nobis per hunc, quem ob hoc direximus, nuntium dirigatis. Monemusque ut cum quilibet quaesierit cuinam praefatum codicem commodaturi 36 sitis, nostra nomina supprimentes, quod quibusdam propinquis vestris id magnopere flagitantibus velit eum mittere respondeatis. Si autem per vos illum accipere meruerimus, optime tractabimus, et tempore opportuno remitemus. Super vestra incolumitate nobisque gratissima prosperitate litteris nos certiores facere dignemini, et ne aliqua ex parte ad vos frustra miserimus pariter procurate.

Vilém z Malmesbury, Gesta regum Anglorum II, 19

Hoc tempore creditur fuisse Joannes Scottus. Joannes Scotus Erigena, origine Scotus, Franciam circa noni saeculi medium adiit, ubi celeberrimum transtulit S. Dionysii opus De divinis nominibus vel coelestibus ordinibus. Composuit etiam librum quem peri fyseon, id est De naturae divisione, titulavit, propter perplexitatem necessariarum quaestionum solvendam bene utilem, si tamen ignoscatur ei in aliquibus, in quibus a Latinorum tramite deviavit, dum in Graecos acriter oculos intendit. Succedentibus annis munificentia Elfredi allectus venit Angliam, et apud monasterium nostrum a pueris quos docebat graphiis, ut fertur, perforatus, etiam martyr aestimatus est; quod sub ambiguo ad injuriam sanctae animae non dixerim, cum celebrem ejus memoriam sepulchrum in sinistro latere altaris, et epitaphii prodant versus, scabri quidem et moderni temporis lima carentes, sed ab antiquo non adeo deformes.

*Clauditur in tumulo sanctus sophista Johannes,
Qui ditatus erat jam vivens dogmate miro;
Martyrio tandem Christi conscendere regnum,
Quo meruit, regnant sancti per secula cuncti.*

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 179, 1083-1085.

Jan Scotus Eriugena, De divisione naturae I

M. – Saepe mihi cogitanti diligentiusque, quantum vires suppetunt, inquirenti, rerum omnium, quae vel animo percipipi possunt, vel intentionem eius superant, primam summamque

divisionem esse in ea, quae sunt, et in ea, quae non sunt, horum omnium generale vocabulum occurrit, quod graece „fysis“, latine vero „natura“ vocatur. An tibi aliter videtur?

D. – Immo, consentio. Nam et ego cum ratiocinandi viam ingredior, haec ita fieri reperio.

M. – Est igitur natura generale nomen, ut diximus, omnium, quae sunt, et quae non sunt.

D. – Est quidem. Nihil enim in universo cogitationibus nostris potest occurrere, quod tali vocabulo valeat carere.

M. – Quoniam igitur inter nos convenit de hoc vocabulo generale esse, velim dicas divisionis eius per differentias in species rationem; aut sicubi libet, prius conabor dividere, tuum vero erit divisa iudicare.

D. – Ingredere, quaeso. Impatiens enim sum, de his veram rationem a te audire volens.

M. – Videtur mihi divisio naturae per quattuor differentias quattuor species recipere: quarum prima est in eam, quae creat et non creatur; secunda in eam, quae creatur et creat; tertia in eam, quae creatur et non creat; quarta, quae nec creat nec creatur. Harum vero quattuor binae sibi invicem opponuntur, nam tertia opponitur primae, quarta vero secundae. Sed quarta inter impossibilia ponitur, cuius differentia est non posse esse. Rectane tibi talis divisio videtur, an non?

D. – Recta quidem. Sed velim repetas, ut praedictarum formarum oppositio clarius elucescat.

M. – Vides, ni fallor, tertiae speciei primae oppositionem. Prima namque creat et non creatur, cui e contrario opponitur illa, quae creatur et non creat. Secunda vero quartae, siquidem secunda et creatur et creat, cui universaliter quarta contradicit, quae nec creat nec creatur.

D. – Clare video. Sed multum me movet quarta species, quae a te addita est. Nam de aliis tribus nullo modo haesitare ausim, cum prima, ut arbitror, in causa omnium, quae sunt, et quae non sunt, intelligatur. Secunda vero in primordialibus causis, tertia in his, quae in generatione, temporibusque et locis cognoscuntur. Atque ideo de singulis disputari subtilius necessarium, ut video.

J.-P. Migne. Patrologiae Cursus Completus. Series Latina. Vol. 122, 441-442.

Rhythmi Dhuodanae

CXXII. Dhuoda dilecto filio VWilhelmo salutem lege

1. **D**eus, summe lucis conditor, poli
Siderumque ductor, rex aeterne agius:
2. **H**oc a me ceptum tu perfice clemens;
Quanquam ignara a te perquiro sensum,
3. **U**t tua capax placita perquiram,
Praesens et futurum tempus curram aptum.
4. **O**mnia per cuncta trinus et unus
Tuis per saecula prospera largiris.
5. **D**igna dignis semper meritis ad singula.
Tribuis celsam tibi famulantes.
6. **A**d te, ut valeo poplite flexu
Gratias refero conditori largas.
7. **D**e tua mihi, obsecro, largire
Opem, ad dextram sublevans axem.

8. Illic namque credo tuis sine fine
Manere posse quiesci in regno.
9. Licet sim indigna, fragilis et exul,
Limo revoluta, trahens ad yma:
10. Est tamen mihi consors ac amica,
Fideque de cuius relaxant discrimina.
11. Centrum qui poli continens giro
Pontum et arva concludis palmo,
12. Tibi commendo filium VVilhelmum:
Prosperum largiri iubeas in cunctis.
13. Oris atque semper < suc > curras momentis:
Te super omnem diligit factorem.
14. Filiis cum tuis mereatur felici
Concito gradu scandere culmen.
15. In te suus semper vigilet sensus,
Pandens per saecula vivat feliciter.
16. Lesus nunquam ille incidat in iram
Neque separatus aberret a tuis.
17. Iubilet iocundus cursu felici,
Pergat cum virtute fulgens ad supera.
18. Omnia semper a te apta petat:
Qui das sine fastu, dona illi sensum,
19. Ut te intelligat credere, amare,
Laudare gratiis duplicatis. Amen.

CXXIV. Versi ad VVilhelmum.

1. Vt valeas, vigeas, optime prolis,
Dicta conscripta a me tibi directa
Legere ne pigeat: invenias facile
Placida tibi.
2. Est vivus sermo dei: illum perquire;
Diligentius sacram disce doctrinam:
Mens etenim tua repletur gaudiis
Magnis per saecula.
3. Rex immensus et fortis, clarus et pius,
Dignetur per cuncta tuam nutriri mentem,
Iuvenilis puer, protegat, defendat
Omnibus horis.
4. Sis namque tu humilis mente et castus
Corpore, pronus in servitiis abtis,
Magnis et minimis omnibus, ut vales,
Flectere frequens:
5. In primis dominum deum ex toto corde
Et mente, totis viribus pansis

Time et dilige, genitorem tuum
Inde per cuncta.

Monumenta Germaniae Historica, Poetae Latini Aevi Carolini IV, II. Ed. K. Strecker, s. 705-6, 710

10.století

Hrotsvitha: *Conversio Thaidis Meretricis alias Pafnutius*

(De Thaide meretrice),

quam Pafnutius heremita, aequae ut Habraham, sub specie adiens amatoris convertit et, data poenitentia, per quinquennium in angusta cellula conclusit, donec, digna satisfactione deo reconciliata, XV^a peractae poenitentiae die obdormivit in Christo.

III. Pafnutius: Tu istaec intro, Thais, quam quaero?

Thais: Quis hic, qui loquitur, ignotus?

Pafnutius: Amator tuus.

Thais: Quicumque me amore colit, aequam vicem amoris a me recipit.

Pafnutius: O Thais, Thais, quanta gravissimi itineris currebam spatia, quo mihi daretur copia tecum fandi tuique faciem contemplandi.

Thais: Nec aspectum subtraho nec colloquium denego.

Pafnutius: Secretum nostrae confabulationis desiderat solitudinem loci secretioris.

Thais: Ecce, cubile bene stratum et delectabile ad inhabitandum.

Pafnutius: Estne hic aliud penitus, in quo possimus colloqui secretius?

Thais: Est etenim aliud tam occultum, tam secretum, ut eius penetral nulli praeter me nisi deo est cognitum.

Pafnutius: Cui deo?

Thais: Vero.

Pafnutius: Credis eum aliquid scire?

Thais: Non nescio illum nihil latere.

Pafnutius: Utrumne reris illum facta pravorum neglegere, an sui aequitatem servare?

Thais: Aestimo ipsius aequitatis lance singulorum merita pensari et unicuique, prout gessit, sive supplicium sive praemium servari.

Pafnutius: O Christe, quam miranda tuae circa nos benignitatis patientia, qui te scientes vides peccare et tamen tardas perdere!

Thais: Cur contremiscis mutato colore? Cur fluunt lacrimae?

Pafnutius: Tui praesumptionem horresco, tui perditionem defleo, quia haec nosti et tantas animas perdidisti.

Thais: Vae, vae mihi infelici!

Pafnutius: Tanto iustius damnaberis, quanto praesumptiosius scienter offendisti maiestatem divinitatis.

Thais: Heu, heu, quid agis? Quid infelici minitaris?

Pafnutius: Supplicium tibi imminet gehennae, si permanebis in scelere.

Thais: Severitas tuae correptionis concussit penetral pavidi cordis.

Pafnutius: O, utinam esse visceratenus concussa timore, ne ultra praesumeres periculosae delectationi assensum praebere.

Thais: Et quis post haec locus pestiferae delectationi in meo corde potest relinqui, ubi solum intestini maeroris amaritudo consciique reatus nova dominatur formido?

Pafnutius: Hoc opto, quo resectis vitiorum spinis emergere possit vimen conpunctionis.

Thais: O si crederes, o si sperares me sordidulam, milies millenis sordium offuscationibus

oblitam, ullatenus posse expiari seu ullo conpunctionis modo veniam promereri!

Pafnutius: Nullum enim tam grave peccatum, nullum tam immane est delictum, quod nequeat expiari poenitentiae lacrimis, si effectus sequetur operis.

Thais: Ostende, quaeso, mi pater, quo effectum operis promereri quaeam munus reconciliationis.

Pafnutius: Contempne saeculum, fuge lascivorum consortia amasionum.

Thais: Et quid mihi tunc erit agendum?

Pafnutius: In secretum locum secedendum, in quo te ipsam discutiendo possis lamentari enormitatem tui delicti.

Thais: Si hoc speras proficere, non addo momentum morulae.

Ed. H. Homayer, Wien 1970, s. 377-339

Hrotsvitha: *Passio sancti Dionisii egregii martiris*

- Qui nam gaudentes domino laudesque canentes
Pergebant prompti semet mox dedere morti.
Praesul tunc oculis sursum manibusque levatis
Altithrono tales fundebat congrue grates:
- 210 „Mi dee, mi factor, mi clementissime rector,
Qui me vitali prestantans aura pie vesci
Scilicet ingenii donasti luce profundi,
Quo tis secretum scrutarer mysteriorum,
Te solum laudo, te cordetenus benedico
- 215 Et tibi devotas cunctis grates ago membris
Pro cunctis donis mihi collate pietatis;
Teque precor, maiestatis rex magne perennis,
Ut dare perpetuam mihimet dignere coronam
Atque meis sociis pro te iam nunc morituris;
- 220 Tuque tuum populum serva pietate paterna,
Quem pascens fidei tibimet sermone nutrivit.“
His ita poscentis precibus iam rite peractis
Una discipuli sancto cum presule bini
Poplitibus positis cervicibus atque reflexis
- 225 Ictus lictoris susceperunt ferientis.
Quorum permansit celebris confessio talis,
Ut, dum praecisis siluerunt corpora collis,
Palpantes lingue laudes domino cecinere.
Truncatum quoque pontificis corpus morientis
- 230 Erigitur subito nitidum splendore sereno
Atque caput brachiis portans proprium bene firmis
Descendit recto gressu de monte profundo,
In quo martyrium consummavit pretiosum;
Transiliensque viae citius duo milia dure
- 235 Venit adusque locum servando corpore dignum.
Quem descendentem cursuque cito gradientem
Coetus angelici comitantur luce sereni
Alleluia deo resonantes voce sonora.
His signis factis convenit turba fidelis
- 240 Martyris atque loco venerabile corpus in ipso,
Quem sibi signavit, cum post gressus requievit,

Impositum tumulo veneratur honore supremo
Exequias tanti luctu celebrando patroni.
Illic pro meritis eius testis venerandis
245 Christus virtutes fecit clarescere signis.

(Hrotsvit. Opera omnia. Ed. W. Berschin. Lipsiae 2001. s. 111-113.)

Regino z Prümü, Chronicon

Anno dominicae incarnationis DCCXXI. Carolus filius Pippini, maior domus et bellicosissimus dux Francorum, defunctus est.

Anno dominicae incarnationis DCCXXII. Carlomannus et Pippinus filii eius duxerunt exercitum contra Hunoldum ducem Aquitanorum et ceperunt castrum, quod vocatur Lucas, et in eodem itinere diviserunt regnum Francorum inter se in loco, qui dicitur Vetus Pictavis; posthaec Carlomannus eodem anno Alamanniam cum exercitu vastavit.

Anno dominicae incarnationis DCCXXIII. Carlomannus et Pippinus contra Odilonem ducem Baioariorum duxerunt exercitum et inierunt pugnam et victores effecti. Carlomannus absque fratre in Saxoniam perrexit et cepit castrum, quod dicitur Hocseoburch, per placitum et pacis conditionem et Theodericum Saxonem obsidem accepit; qui sacramentis datis in patriam dimissus est redire, sed posthabito sacramento fefellit.

Anno dominicae incarnationis DCCXXIV. iterum Carlomannus et Pippinus Saxoniam cum exercitu ingressi sunt, et rursum captus est supradictus Theodericus.

Anno dominicae incarnationis DCCXXV. Carlomannus confessus est suo germano Pippino, quod mente disposuisset seculum relinquere et pro amore Dei regnum terrenum deserere, ut in futura vita centuplicatam reciperet possessionem. Et in hoc anno nullam fecerunt expeditionem, sed preparaverunt se uterque, Carlomannus ad iter, quod decreverat, et Pippinus, ut germanum suum ad locum destinatum honorifice cum muneribus et debita munificentia prosequeretur.

Anno dominicae incarnationis DCCXXVI. Carlomannus Romam perrexit, ibique se totondit et in Sarepte monte monasterium aedificavit in honore sancti Silvestri. Ibi aliquod tempus moram faciens exinde ad sanctum Benedictum in Cassinum usque pervenit, et ibi monachus effectus est. Fertur autem de hoc sancto viro exemplum memorabile. Cum adhuc Romae positus in monasterio, quod sibi aedificaverat, ab omnibus propter regiam nobilitatem et, quod maius est, propter contemptum regni terreni et gloriam presentis seculi veneraretur et laudibus extolleretur, timens vir Deo plenus favorem laudis humanae, qui tanta pro Christo reliquerat, fugam magis arripere disposuit, quam vanae gloriae subiacere. Et hoc tantummodo uno fido socio confessus, quem ab infantia in omnibus fidelem probaverat, cum eo noctu omnibus insciis aufugit et ad Cassinum montem usque pervenit; nihil secum portans ex omnibus bonis, quae corpori erant necessaria, nudus Christum secutus est. Et iuxta morem portam monasterii pulsans colloquium patris monasterii expetiit; in cuius presentia cum venisset, mox in terram corruit, se homicidam esse, se reum omnium criminum protestans misericordiam exposcit, poenitentiae locum exquirat. Pater, cum hominem peregrinum esse cognovisset, interrogat, cuius patriae aut gentis esset; at ille confessus est, se Francum esse et ex Francia pro talia scelera migrasse, exilium libenter ferre paratum, tantum ut patriam caelestem non amitteret. Spiritualis pater eius precibus annuens precepit eum in cella novitiorum recipi una cum suo collega ibique probari, secundum quod regula iubet, et tanto artius, quanto barbarae et ignotae gentis homo erat, implens illud apostolicum: Probate spiritus, si ex Deo sunt. Itaque probatus in omni patientia sociatus est congregationi una cum collega post emensum anni circulum, professus stabilitatem, conversionem morum et

obedientiam secundum regulam sancti Benedicti. Cepit autem inreprehensibiliter inter fratres conversari, omnibus virtutibus pollens. Accidit autem, ut, iuxta quo mos est, ad quoquinae officium ebdomadarius deputaretur; quod cum libenter quidem faceret, sed in multis ignoranter offenderet, cocus vino exaestuans ei alapam dedit dicens: 'Ita te fratribus deservire oportet?' Cui ille nil motus placido vultu respondit: 'Indulgeat tibi Dominus, frater, et Carlomannus'. Neque enim cuiquam nomen suum prodiderat, ne ex vocabulo agnosceretur. Rursus cum in quibusdam cibariis administrandis errasset, iterum a coco percussus est, cui eadem, quae supra, imprecatus est. Et cum tertio a coco crudeliter cederetur, indignatus ille comes individuus suae peregrinationis, quod tantus vir a tam vili persona tam contumeliose afficeretur, iam ferre non valens arripuit pilum, unde panis in holera fratrum mittendus conterebatur, et eum omni annisu percussit dicens: 'Nec tibi Deus parcat, serve nequam, nec Carlomannus indulgeat.' Fratres hoc audito felle commoti sunt, quod homo alienigena et pro misericordia receptus talia facere presumpsisset. Protinus itaque custodiae mancipatur, ut die sequenti talis presumptio acrius vindicaretur. In crastinum productus de custodia in medio conventu sistitur; percunctatus, cur manus extendere in fratrum ministrum ausus fuisset, respondit: 'Quia', inquit, 'vidi servum nequiores omnibus virum meliorem et nobiliorem omnium, quos in terra conversari scio, non solum verbis dehonestari, sed etiam plagis affici'. Furore nimio exagitati, quod eum, qui peregrinus venerat, caeteris pretulisset, interrogant, quis esset ille, qui bonitate et nobilitate omnes anteiret, cur saltem patrem monasterii non excepisset. Ille necessitate compulsus celare non valens, quod Deus iam manifestari volebat, ait: 'Iste est Carlomannus quondam rex Francorum, qui pro Christi amore regnum et gloriam mundi dereliquit, qui de tanta excellentia ita se humiliavit, ut modo a vilissimis personis non solum contumeliis afficiatur, verum etiam verberibus affligatur'. Quo audito tremefacti a sedibus surgunt, pedibus eius se prosternunt, veniam postulant de contemptu, ignorantiam profitentur; ille econtra in terram provolutus cum lacrimis negare coepit, haec non esse vera, non se esse Carlomannum, sed hominem peccatorem et homicidam, collegam suum timore perterritum propter commissum piaculum haec excogitasse. Quid plura? cognitus ab omnibus cum magna reverentia est observatus. Haec non passi sumus preterire; nunc ad chronicam revertamur.

Reginonis abbatis Prumiensis *Chronicon*

Incipit liber de gestis regum Francorum.

796 Heinricus dux Foroiulianorum missis hominibus suis cum Wonomiro Sclavo in Pannonia Iringum gentis Avarorum principem longis retro temporibus quietum, civili bello fatigatis inter se principibus, inprovisè expoliavit.

803 Imperator autem Baioariam profectus venationem bubalorum, ceterarum ferarum per saltum Hircanum exercuit, ceterum exercitum per apertiores vias ire permisit. Inde ad Regenesburc veniens dispositis his, quae utilia videbantur esse, adventum exercitus de Pannonia redeuntis prestolabatur. Quibus reversis obviam illis ad Ragenesburc venit. Ibi etiam cum illis Zodan princeps Pannoniae veniens imperatori se tradidit. Multi quoque Sclavi et Huni in eodem conventu fuerunt et se cum omnibus, quae possidebant, imperatoris dominio subdiderunt. Constitutisque omnibus utilitatibus, quae illis partibus necessaria erant, per Alemanniam et per Wormatiam hiemis tempore ad Aquis palatium venit ibique natalem Domini celebravit. dispositis Pannoniarum causis Aquis reversus est; ibi natalem Domini celebravit.

805 Caganus princeps Avarorum imperatorem adiit, postulans sibi locum dari ad habitandum inter Sabariam et Carantanum, quia propter infestationem Sclavorum in pristinis sedibus manere non poterat; quem imperator benigne suscepit eiusque precibus favit. Eodem tempore

misit exercitum cum filio suo Carolo super Sclavos, qui vocantur Behemi; qui omnem terram eorum depopulantes ducem eorum, qui appellabatur Lecho, occiderunt.

806 Sclavisque compressis ex hac parte in Behemi cum Baioariis atque Alamannis ingreditur eorumque terram ex permaxima parte vastavit.

811 Imperator itaque pace cum Hemmingo firmata et placito generali secundum consuetudinem Aquis habito in tres partes regni sui totidem exercitus misit, unum trans Albiam in Linones, qui et ipsos vastavit et castrum Hohbuochi superiori anno a Wilzis destructum restauravit, alterum in Pannoniam ad controversias Hunorum ac Sclavorum finiendas direxit, tertium super Brittones ad eorum perfidiam puniendam misit; qui omnes rebus prospere gestis domum reversi sunt... Fuerunt etiam Aquis adventum eius prestolantes, qui de Pannonia venerunt, Canizauci princeps Avarorum et Thudun et alii principes ac duces Sclavorum circa Danubium habitantium, qui a ducibus Francorum, qui in Pannonias missi fuerunt, ad presentiam principis iussi sunt venire.

860 His temporibus Ludowicus senior, frater Lotharii imperatoris, plurima bella strenuissime gessit adversus Sclavorum gentes; siquidem Marahensium regna ingressus armis cuncta perdomuit, capto eorum principe nomine Rastiz, cui etiam propter violata foedera oculos effodere iussit.

876 Post haec convenerunt tres supradicti fratres in loco, qui dicitur Sualifelt, et ibi diviserunt paternum regnum. Carlomanus sortitus est Baioariam, Pannoniam et Carnutum, quod corrupte Carantanum dicitur, nec non et regna Sclavorum, Behemensium et Marahensium; Ludowicus orientalem Franciam, Turingiam, Saxoniam, Fresiam et partem regni Lotharii: porro Carolo Alamannia, in partem cessit et aliquae civitates ex regno Lotharii.

880 Anno dominicae incarnationis DCCCLXXX. Carlomannus rex paralisi dissolutus diem clausit extremum... Plurima quippe bella cum patre, plura sine patre in regnis Sclavorum gessit semperque victoriae triumphum reportavit;

889 Anno dominicae incarnationis DCCCLXXXVIII. gens Hungarum ferocissima et omni belua crudelior, retro ante seculis ideo inaudita quia nec nominata, a Scythicis regnis et a paludibus, quas Thanais sua refusione in immensum porrigit, egressa est...

Ex supradictis igitur locis gens memorata a finitimis sibi populis, qui Pecinaci vocantur, a propriis sedibus expulsa est, eo quod numero et virtute prestarent et genitale, ut premisimus, rus exuberante multitudine non sufficeret ad habitandum. Horum itaque violentia effugati ad exquirendas, quas possent incolere, terras sedesque statuere valedicentes patriae iter arripiunt. Et primo quidem Pannoniorum et Avarum solitudines pererrantes, venatu ac piscatione victum cotidianum quaeritant; deinde Carantanorum, Marahensium ac Vulgarum fines crebris incursionum infestationibus irrumpunt, perpauca gladio, multa millia sagittis interimunt, quas tanta arte ex corneis arcibus dirigunt, ut earum ictus vix precaveri possit.

890 Anno dominicae incarnationis DCCCXC. Arnulfus rex concessit Zuendibolch Marahensium Sclavorum regi ducatum Behemensium, qui hactenus principem suae cognationis ac gentis super se habuerant Francorumque regibus fidelitatem promissam inviolato foedere conservaverant, eo quod illi, antequam in regni fastigio sublimaretur, familiaritatis gratia fuerit conexus: denique filium eius, quem ex pelice susceperat, a sacro fonte levavit eumque ex nomine suo Zuendibolch appellari fecit. Quae res non modicum discordiarum et defectionis prebuit incitamentum. Nam et Behemi a fidelitate diutius custodita recesserunt et Zuendibolch ex adiectione alterius regni vires non parvas sibi accessisse sentiens fastu superbiae inflatus contra Arnulfum rebellavit. Quo cum cognovisset Arnulfus, cum exercitu regnum Marahensium ingressus cuncta, quae extra urbes reperit,

solotenus demolitus est. Ad ultimum cum et ceterae fructiferae arbores radicitus exciderentur, Zuendibolch pacem poposcit et dato filio obside hanc sero promeruit.

891 Arnulfus rex in Baioariorum extremitatibus morabatur, insolentiam Sclavorum reprimens.

892 Per idem tempus Arn, Wirziburgensis ecclesiae venerabilis episcopus hortatu et suasionem Popponis Thuringorum ducis ad pugnam contra Sclavos profectus in eadem pugna occiditur; cuius cathedram Ruodolfus, frater Cuonradi comitis, optinuit et ei in episcopatu successit.

894 Circa haec etiam tempora Zuendibolch rex Marahensium Sclavorum, vir inter suos prudentissimus et ingenio callidissimus, diem clausit extremum; cuius regnum filii eius paucis tempore infeliciter tenuerunt, Ungaris omnia usque ad solum depopulantibus.

(Magnae Moraviae Fontes Historici I, s. 133-140.)

Liutprandus Cremonensis, *Antapodosis*

I, 5

Per idem tempus Arnulfus rex potentissimus, defuncto Karolo praenomine Calvo, Bagoariis, Suevis, Francis Teutonicis, Lotharingis, audacibusque principabatur Saxonibus. Cui Centebaldus Maravanorum dux, viriliter repugnabat.

I 13

Arnulfus interea, earum quae sub arcturo sunt gentium rex fortissimus, cum Centebaldum Maravanorum ducem, quem supra memoravimus, sibi viriliter repugnantem debellare nequiret, depulsis his, pro dolor, munitissimis interpositionibus, quas vulgo clusas nominari praediximus, Hungariorum gentem, cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, scelerum omnium non insciam, caedis et rapinarum solummodo avidam, in auxilium convocat; si tamen auxilium dici potest, quod paulo post, eo moriente, cum genti suae, tum caeteris in meridie occasuque degentibus nationibus, grave periculum, immo exitium fuit. Quid igitur? Centebaldus vincitur, subiugatur, fit tributarius; sed non solus. O cecum regnandi Arnulfi regis cupiditatem! o infelicem amarumque diem! Unius homuntii deiectio fit totius Europae contritio. Quot mulieribus viduitatem, patribus orbitatem, virginibus corruptionem, sacerdotibus populisque Dei captivitatem, ecclesiis desolationem, terris inhabitantibus solitudinem, ceca ambitio paras! ... Sed redeamus ad rem. Devicto namque Centebaldo Maravanorum duce, Arnulfus pace habita regno potitur. Hungarii interim observato exitu, contemplatique regionem, cordibus malum, quod post in propatulo aparuit, machinabantur.

II 2

Primo namque mortis huius gnatique sui ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Maravanorum gentem, quam virtutis eorum amminiculo rex Arnulfus subdiderat, sibi vendicant; Bagoariorum etiam fines occupant; castra diruunt, ecclesias igne consumunt, populos iugulant, et ut magis magisque timeantur, interfectorum sese sanguine potant.

(Magnae Moraviae Fontes Historici I, s. 145-147)

VI, 2-8

Rege Hugone Provinciae in partibus defuncto, Berengarii nomen celebre apud nonnullas praesertim apud Graecas exstitit nationes. Is enim Italicis omnibus principabatur virtute, rex vero Lotharius solo nomine. Constantinipoleos regebat imperium, audito Berengarium potentia praestare Lothario, per Andream quendam, qui ab officio comes curtis dicebatur,

litteras Berengario dirigit in quibus continebatur vehementer se Berengarii nuntium velle videre; cuius in reditu cognosceret quanta eum caritate diligeret. Scripsit etiam et commendaticias eidem pro Lothario litteras ut fidelis ei esset administrator, cui Deo largiente exstiterat gubernator. Constantinus namque sollicitudinem non parvam Lotharii pro salute habebat, religiose ob amorem nurus suae cogitans, quae Lotharii soror exstiterat.

Berengarius itaque, calliditate qua erat suffarcinatus, cogitans quem potissimum mitteret cui nil impensae ob itineris longinquitatem praeberet, vitricum cuius tunc sub cura degebam venies: „Quanti mihi,“ inquit, „esset privignum tuum Graecas litteras non ignorare?“ Cui cum diceret: „Uti divitiarum mearum ea gratia partem mediam distributam haberem!“ „Non necesse,“ ait, „habes neque contesimam impertiri. Constantinopolitanus imperator litteris orat ut meum ad se nuntium dirigam. Quod cum ob animi constantiam nemo melius, tum ob dicendi copiam nemo commodius facere potest. Quid dicam quam facile doctrinas ebibet Graecas qui tam puerilibus in annis epotavit Latinas?“ Hac spe quam mox vitricus animatus impensas omnes distribuit meque magnis cum muneribus Constantinopolim direxit.

Die quippe Kalendarum Augustarum Papia exiens per Eridani alveum triduo Venetiam veni, ubi et Salemonem Graecorum nuntium, kitonitan, eunuchum, repperi, ab Hispania et Saxonia reversum Constantinopolim versus tendere cupientem, secumque ducentem domini nostri, tunc regis nunc imperatoris, magnis cum muneribus nuntium, Liutefredum scilicet, Magontinum institorem ditissimum. Octavo denique Kalendas Septembres Venetia exeuntes, xv. Kalendas Octobres Constantinopolim venimus; ubi quam inaudito miroque simus modo recepti scribere non pigebit.

Est Constantinopolim domus palatio contigua, mirae magnitudinis seu pulchritudinis, quae a Graecis per v loco digammae positam magnavra, quasi magna aura, dicitur. Hanc itaque Constantinus, cum ob Hispanorum nuntis qui tunc eo noviter venerant, tum ob me et Liutefredum hoc modo praeparari iussit. Aerea sed deaurata quaedam qrbor ante imperatoris sedile stabat, cuius ramos itidem aerae diversi generis deaurataeque aves replebant, quae secundum species suas diversarum avium voces emittebant. Imperatoris vero solium huiusmodi erat arte compositum ut in momento humile, excelsius modo, quam mox videretur sublime; quod immensae magnitudinis, incertum utrum aerei an lignei, verum auro tecti leones quasi custodiebant, qui cauda terram percutientes, aperto ore, linguisque mobilibus rugitum emittebant. In hac igitur duorum eunuchorum umeris incumbens ante imperatoris praesentiam sum deductus. Cumque in adventu meo rugitum leones emitterent, aves secundum species suas perstreperent, nullo sum terrore, nulla admiratione commotus, quoniam quidem ex his omnibus eos qui bene noverant fueram percontatus. Tertio itaque pronus imperatorem adorans caput sustuli, et quem prius moderata mensura a terra elevatum sedere vidi, mox aliis indutum vestibis penes domus laquear sedere prospexi. Quod qualiter fieret cogitare non potui, nisi forte eo sit subvectus argalio quo torcularium arbores subvehuntur. Per se autem tunc nihil locutus quoniam etsi vellet intercapedo maxima indecorum faceret, de vita Berengarii et sospitate per logothetam est percontatus. Cui cum consequenter respondissem, interprete sum innuente egressus et in datum mihi hospitium mox receptus.

Sed ne hoc pigeat memorare quid tunc pro Berengario egerim, scilicet ut agnoscat quanta hunc caritate dilexerim et cuiusmodi ab eo recompensationem pro bene gestis acceperim. Hispanorum nuntii et nominatus Liutefredus, domini nostri tunc regis Ottonis nuntius, magna ex eorum dominis parte munera imperatori Constantino detulerant. Ego vero Berengarii ex parte nihil praeter epistolam, et hanc mendacio plenam, detuleram. Aestuabat itaque non parum hac pro verecundia animus, et quid super hac re faceret cogitabat attentius. Aestuanti autem et mihi nimium fluctuanti mens suggessit quatenus dona quae imperatori mea ex parte detuleram Berengarii ex parte conferrem, parvumque munus prout possem verbis

ornarem. Obtuli autem loricas optimas novem, scuta optima cum bullis deauratis septem, coppas argenteas deauratas duas, enses, lanceas, verua, mancipia quattuor carzimasia, imperatori nominatis omnibus pretiosiora.

His itaque gestis imperator me post triduum ad palatium vocare praecepit proprioque mecum ore locutus, ad convivium invitavit magnoque post convivium me meosque asseculas munere donavit. Verum quia narrandi se occasio intulit qualis eius sit mensa, festis praecipue diebus, qualesque ad mensam ludi celebrentur bonum non opinor silere sed scribere.

Est domus iuxta hippodromum, aquilonem versus, mirae altitudinis seu pulchritudinis, quae Decanneacubita vocatur, quod nomen non ab re sed ex apparentibus causis sortita est; deca enim Graece, Latine decem, ennea novem, cubita autem a cubando inclinata vel curvata possumus dicere. Hoc autem ideo quoniam quidem decem et novem mensae in ea quae secundum carnem est Domini nostri Iesu Christi nativitate apponuntur. In quibus imperator pariter et convivae non sedendo, ut ceteris diebus, sed recumbendo epulantur; quibus in diebus non argenteis sed aureis tantum vasis ministratur. Post cibum autem aureis vasis tribus sunt poma delata, quae ob immensum pondus non hominum manibus sed purpura tectis vehiculis sunt allata. Apponuntur autem duo hoc in mensam modo. Per foramina laquearis tres sunt funes pellibus deauratis tecti cum anulis depositi aureis, qui ansis quae in scutulis prominent positi, adiuvantibus inferius quattuor aut eo amplius hominibus, per vertibile quod supra laqueum est ergalium in mensam subvehuntur eodemque modo deponuntur. Ludos denique quos ibi perspexerim, quia nimis longum est scribere, pretermitto.

Monumenta Germaniae historica. Scriptores rerum Germanicarum ad usum scholarum XLI. Ed. J. Becker. Hannoverae et Lipsiae 1915. s. 152-157.

Widukind, *Res Gestae Saxonicae*

I, 1-7

Et primum quidem de origine statuque genus pauca expediam, solam paene famam sequens in hac parte, nimia vetustate omnem fere certitudinem obscurante. Nam super hac re varia opinio est, aliis arbitrantibus de Danis Northmannisque originem duxisse Saxones, aliis autem aestimantibus, ut ipse adulescentulus audivi quendam praedicantem de Graecis, quia ipsi dicerent Saxones reliquias fuisse Macedonici exercitus qui, secutus Magnum Alexandrum, immatura morte ipsius per totum orbem sit dispersus. Ceterum gentem antiquam et nobilem fuisse non ambigitur; de quibus et in contione Agrippae ad Iudaeos in Iosepho oratio contextitur, et Lucani poetae sententia probatur.

Pro certo autem novimus Saxones his regionibus navibus advectos traduntur fuisse, arma contra eos movent; Saxonibus vero acriter resistentibus, portum obtinent. Diu deinde inter se dimicantibus et multis hinc inde cadentibus, placuit utrisque de pace tractare, foedus inire; actumque est foedus eo pacto quo haberent Saxones vendendi emendique copiam, ceterum ab agris, a caede hominum atque rapina abstinerent; stetitque illud foedus inviolabiliter multis diebus. Cumque Saxonibus defecisset pecunia, quid venderent aut emerent non habentibus, inutilem sibi pacem esse arbitrabantur.

Ea igitur tempestate contigit adulescentem quendam egredi de navibus oneratum multo auro, torque aurea simulque armis aureis; cui obvius quidam Thuringorum: „Quid sibi vult,“ inquit, „tam ingens aurum circa tuum famelicum collum?“ „Emptorem,“ inquit, „quaero; ad nihil aliud istud aurum gero; quia fame periclitor, quo auro delecter?“ At ille qualitatem quantitatemque pretii rogat. „Nullum,“ inquit Saxo, „mihi est discrimen in pretio; quicquid dabis gratum teneo.“ Ille vero subridens adulescentem: „Quid si,“ inquit, „de isto pulvere sinum tibi impleo?“ – erat enim in praesenti loco egesta humus plurima. Saxo nihil cunctatus

aperit sinum et accipit humum illocoque Thuringo tradidit aurum. Laetus uterque ad suos repedit. Thuringi Thuringum laudibus ad caelum tollunt, qui nobili fraude Saxonem deceperit fortunatumque eum inter omnes mortales fuisse, qui vili pretio tam ingens aurum possederit. Ceterum certi de victoria de Saxonibus iam quasi triumphabant. Interea Saxo privatus auro, oneratus vero multa humo, appropriat navibus. Sociis igitur ei occurrentibus et quid ageret admirantibus, alii eum irridere coeperunt, alii arguere, omnes pariter amentem eum crediderunt. At ille postulato silentio: „sequimini,“ inquit, „me, optimi Saxones, et meam vobis amentiam probabitis utilem.“ At illi, licet dubii, sequuntur tamen ducem. Ille autem sumpta humo per vicinos agros quam potuit subtiliter sparsit et castrorum loca occupavit.

Ut autem viderunt Thuringi castra Saxorum intolerabilis res eis visa est et missis legatis conquesti sunt de rupto foedere ac violato pacto ex parte Saxonum. Saxones respondent se hactenus foedus inviolabiliter servasse; terram proprio auro comparatam cum pace velle obtinere aut certe armis defendere. His auditis incolae iam maledicebant aurum Saxonicum et quem paulo ante felicem esse praedicabant auctorem perditionis suae suaeque regionis fatentur. Ira deinde accensi caeco Marte sine ordine et sine consilio irruunt in castra; Saxones vero parati hostes excipiunt sternuntque et, rebus prospere gestis, proxima circumcirca loca iure belli obtinent. Diu itaque crebroque cum ab alterutris pugnatum foret et Thuringi Saxones sibi superiores fore pensarent, per internuntios postulant utrosque inermes convenire et de pace iterum tractare, conducto loco dieque. Saxones postulatis se oboedire respondent. Erat autem illis diebus Saxonibus magnorum cultellorum usus, quibus hodie Angli utuntur, morem gentis antiquae sectantes. Quibus armati Saxones sub sagis suis procedunt castris occurruntque Thuringis conducto loco. Cumque viderent hostes inermes et omnes principes Thuringorum adesse, tempus rati totius regionis obtinendae, cultellis abstractis, super inermes et improvisos irruunt et omnes fundunt ita ut ne unus quidem ex eis superfuerit. Saxones clari existere et nimium terrorem vicinis gentibus incutere coeperunt.

Fuerunt autem et qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. Cultelli enim nostra lingua sahs dicuntur ideoque Saxones nuncupatos quia cultellis tantam multitudinem fudissent.

Monumenta Germaniae historica. Scriptores rerum Germanicarum ad usum scholarum LX. Ed. G. Waitz – K. H. Kahr – P. Hirsch. Hannoverae 1935. s. 4-7.

I, 18

Avares ... videntes autem, quia res eis secus cederent, cum uxoribus ac filiis et omni agresti suppellectili iterum venientes et finitimas gentes circumquaque vastantes, Pannoniam postremo inhabitare coeperunt.

I, 19

Victi autem a Magno Karolo et trans Danubium pulsati ac ingenti vallo circumclusi, prohibiti sunt a consueta gentium depopulatione. Imperante autem Arnulfo destructum est opus, et via eis nocendi patefacta, eo quod iratus esset imperator Centupulcho regi Marorum. Deinde quantam stragem quantamque iniuriam imperio Francorum fecerint, urbes ac regiones adhuc desolatae testantur.

(Magna Moraviae Fontes Historici I. s. 149)

Thietmari Merseburgensis Episcopi Chronicon

VI 99 (60) Illud etiam adnectendum est, qualiter Othelricus Boemiorum dux, mammona iniquitatis interpretatus, Bosionem inclitum suimet militem caeterosque complures interfici

preceperit, eo quod hos fratrem adiuuare exulem a falsis murmuratoribus audierit et omnes caute in hiis cladibus discerent, qualiter sibi in futurum precavere debuissent. Quod Dominus in utroque testamento iubet observari firmiter, id in hiis regionibus compleri prohibet ambicio ceca semper. Germanum enim, quem merito pre hiis diligere debuit, verebatur et, ne umquam ad se veniat, diligenter custodire conatur. Boemii regnante Zuetepulco duce quondam fuere principes nostri. Huic a nostris parentibus quotannis solvitur census, et episcopus in sua regione Marierun dicta habuit; quod omne is et successores sui superbia tumidi perdiderunt, quia omnis humilitas euvangelio teste crescit et arrogantiae sublimitas minoratur. Sine maximo timore in hiis nullus dominatur provinciis. Caritas pura gemit exclusa, quia regnat ibidem periurium cum fraude socia.

VII 19 ... Namque Othelricus quandam urbem magnam Businc dictam petiit et in ea non minus quam mille viros absque mulieribus et liberis capiens, incendit eandem et victor remeavit. Heinricus autem Orientalium marchio cum Bawariis comperiens Bolizlavi milites iuxta se predam fecisse, protinus insequitur et ex hiis fortiter resistentibus octingentos occidit predamque omnem resolvit.

VII 57 (42) Interea Mararenses Bolizlavi milites magnam Bawariorum catervam dolo circumvenientes incautam occidunt, dampnum sibi ab eis illatum prius ad partem haud exiguam ulciscetes.

VII 61 Interim Mararenses Boemiam ingressi urbem quandam expugnant et cum preda ingenti incolumes exhibant. Quod cum marchio Heinricus hos petere cum exercitu conatus audiret, festinus insequitur; et occisis ex eorum numero plus quam mille viris fugientibusque caeteris, captivitatem hanc omnem solutam domum remisit.

VII 76 (54) In Bawariorum confinio atque Mararensium quidam peregrinus nomine Colomannus ab incolis, quasi speculator esset, capitur et ad professionem culpae, quam non meruit, diris castigacionibus compellitur. Ille, cum se nimis excusaret pauperemque Christi se sic vagari affirmaret, in arbore diu arida innocens suspensus est. Nam caro eius a quodam postea paululum incisa sanguinem fudit, ungues ac capilli crescebant. Ipsa quoque arbor floruit et hunc Christi martirem esse monstravit. Hoc marchio Heinricus ut comperit, corpus eiusdem in Mezilecun sepelivit.

(*Magnae Moraviae Fontes Historici I, s. 155-157.*)

Ecbasis captivi

Iam nox per medium gaudebat currere caelum,
Cum subito missi properant, qui munera portant:
165 Inter quae rombus, cum multo milite barbuis,
Flexilis et congruis, cum quis mugil generosus,
Goblo, sepiole, lolligo cum capitone,
Cancris, nulli, trutta, cavedonus, hicherus, allec,
Affuit et salmo nutritus flumine Hreno,
170 Nec aberat donis piscosi grex Rabadonis,
Quod fundoque Mose capitur piscis genus omne;
Prefert se ceto spinx captus in amne Petroso,
Squamigeros cetus punctis pellebat acutus.
Detulit haec luter, carus placidusque minister.
175 Optulit ericius, spinoso vellere sutus,
Rugosum piper ac costus lentumque papaver,
Porros et caules, rafanos quoque viribus acres,
Molles castaneas, domnis cenantibus aptas,

His cydonia sunt, crustumia denique mixta.
 180 His ita susceptis redibetur gratia missis.
 Considunt pariter; tum sic ait ipse magister:
 "Septimus octavo propior iam preterit annus,
 Ex quo cum pomis, cum piscibus urbe petitis
 Mensas ornavi, convivas ipse refeci;
 185 Sic vixi monachus, claustralia iura secutus,
 Omnia distractis coemens obsonia gazis.
 Gratia sit vobis, quod sic mihi subpeditastis.
 Afficior senio, vobis mea cuncta relinquo,
 Ericio rupem, lutro pro piscibus amnem".
 190 Protinus arrident, collum faciemque remulcent.

 Cum faciem noctis pepulissent lumina solis,
 Corniger armenti perlustrat ovilia vici,
 325 Singula qui revocat, presentia queque regirat,
 De sibi commissis aspectat ne pereat quis.
 Mugit vacca loquax, quin taurus cornibus audax,
 Perdita demonstrant, natum per singula lustrant.
 Ast Vosagina canis, lustrosis conscia silvis,
 330 Venerat ad medium, certum dictura relatum:
 „Estimo, quod vobis referentur gaudia mestis.
 In Genesi legitur, Esau cum gesta feruntur,
 Ille sagitta doctus erat grvidaque faretra,
 Portabat cornu, fuerat qui doctus in arcu,
 335 Capsidile suo gestabat in linguine dextro:
 Hic me nutrit, per rara latibula duxit,
 Post mortem domini vobis mendica remansi.
 Visis consternor, auditis corde retundor:
 Juxta est speleum, multo predamine plenum;
 340 Sole sub occiduo, latrans prope iam pede fesso,
 Audieram strepitum, certans comprehendere melum;
 Reddetur stabulo, si forsitan queritur antro.“
 Suscipitur sermo, quem dixit barbarus hospes,
 Et predocta canis ceu fertur odora canum vis,
 345 Non preter cetum properans pretendere gressum,
 Donec pervenit, quo se conducere vovit.
 Tunc equitum turme certant peditumque caterve,
 He numero plures, virtute et honore minores,
 Indocti, stolidi, simul impugnare parati.
 350 Viribus editior, collecto tum grege maior,
 Irritat, mulcet taurus, mugitibus implet,
 Fit sonus in terris, quasi totus corruat orbis.
 Exilit ille lupo, somno vinoque sepultus,
 Convocat armigeros pugnandi iure remotos,
 355 Sperat belligeros solo torpore peritos;
 Arcem conscendit, hostes quo cernere possit;
 Visis expavit, reparatus viribus infit:
 „O famuli fortes, animosas cernite gentes;
 Vnus eis animus, quamquam non unica virtus,

- 360 Perdere nos gliscunt ac morti tradere querunt;
 Quid datis auxilii rabiose obsistere genti?
 Non pugnant manibus, non arcus tenditur ullus,
 Missile non iacitur, nec funda saxa rotantur,
 Non sunt pennigeri pugnaces insidiosi;
- 365 Nam neque calce lupus neque quenquam dente petit bos;
 Absit solus aper et corniger utique cervus,
 His cornu bellum cum dentis acumine sevim.
 Insistunt antro, non decidet ariete crebro,
 Non patet ascensus, nec scandit ridiculus mus.

*Monumenta Germaniae historica. Scriptores rerum Germanicarum ad usum scholarum XXIV. Ed. K. Stecker.
 Hannoverae 1935.*

Waltharius I, 277-328

(Walther mluví k Hildegundě o plánu útěku, chce opít Huny v čele s Attilou):

- „Postquam septenos Phoebus remeaverit orbes,
 Regi ac reginae satrapis ducibus famulisque
 Sumptu permagno convivium laeta parabo
- 280 Atque omni ingenio potu sepelire studebo,
 Donec nullus erit, qui sentiat hoc, quod agendum est.
 Tu tamen interea mediocriter utere vino
 Atque sitim vix ad mensam restinguere cura.
 Cum reliqui surgant, ad opuscula nota recurre.
- 285 Ast ubi iam cunctos superat violentia potus,
 Tum simul occiduas properemus quaerere partes.“
 Virgo memor praecepta viri complevit. Et ecce,
 Praefinita dies epularum venit, et ipse
 Waltharius magnis instruxit sumptibus escas.
- 290 Luxuria in media residebat denique mensa,
 Ingrediturque aulam velis rex undique septam.
 Heros magnanimus solito quem more salutans
 Duxerat ad solium, quod bissus compsit et ostrum.
 Consedit laterique duces hinc indeque binos
- 295 Assedis iubet; reliquos locat ipse minister.
 Centenos simul accubitus iniere sodales,
 Diversasque dapes libans conviva resudat.
 His et sublatis aliae referuntur edendae,
 Atque exquisitum feruebat migma per aurum
- 300 -Aurea bissina tantum stant gausape vasa-
 Et pigmentatus crateres Bachus adornat.
 Illicit ad haustum species dulcedoque potus.
 Waltharius cunctos ad vinum hortatur et escam.
 Postquam epulis depulsa fames sublataque mensa,
- 305 Heros iam dictus dominum laetanter adorsus
 Inquit: „in hoc, rogo, clarescat gratia vestra,
 Ut vos inprimis, reliquos tunc laetificetis.“
 Et simul in verbo nappam dedit arte peractam
 Ordine sculpturae referentem gesta priorum,

310 Quam rex accipiens haustu vacuaverat uno,
 Confestimque iubet reliquos imitarier omnes.
 Ocius accurrunt pincernae moxque recurrunt,
 Pocula plena dabant et inania suscipiebant.
 Hospitis ac regis certant hortatibus omnes.
 315 Ebrietas feruens tota dominatur in aula,
 Balbutit madido facundia fusa palato,
 Heroas validos plantis titubare videres.
 Taliter in seram produxit bachica noctem
 Munera Waltharius retrahitque redire volentes,
 320 Donec ui potus pressi somnoque gravati
 Passim porticibus sternuntur humotenus omnes.
 Et licet ignicremis vellet dare moenia flammis,
 Nullus, qui causam potuisset scire, remansit.
 Tandem dilectam vocat ad semet mulierem,
 325 Praecipiens causas citius deferre paratas.
 Ipseque de stabulis victorem duxit equorum,
 Ob virtutem quem vocitaverat ille Leonem.
 Stat sonipes ac frena ferox spumantia mandit.

Monumenta Germaniae Historica, Poetae Latini medii aevi VI, 1. ed. K. Strecker.

Letaldus Miciacensis. *Within piscator*

Si michi Pindareae praestarent organa cordae
 Voceque Treicius percellens omnia vates
 Afforet, adversas qui flumina cogit in undas
 Armoniaeque avidas cheli rapit undique silvas,
 5 Sic neque magnificum possem depromere carmen
 Quod meditor, rudibus quod fibris cudere conor.
 Moribus hoc senior venerabilis et gravis aevo
 Retulit, os cuius rutilum splendet ut aurum.
 Albion Oceani septem subiecta trioni
 10 Insula dicta prius, post inde Britannia, gentes
 Robustas animis gaudentesque edidit armis,
 Aere blanda satis foecundaque rebus opimis,
 Anglorum modo quae flavis habitata colonis,
 Praesule Gregorio Christi pia cantica cantat,
 15 Barbarica dudum quae norat frendere lingua.
 Hac gestum canimus, quod cudere rite paramus.
 Within dictus erat, piscandi nobilis arte,
 Rimator fluvii rimator et aequoris alti,
 Quem nequeant dulces et amari avertere fluctus
 20 Quin praedam a rapidis ad litora devehat undis.
 Hic hic, Thitoni croceum dum Aurora cubile
 Linqueret, alta petit, carabo devectus amico,
 Et calibem silicemque gerit fungumque reponit
 (His opus affuerit tenues excudat ut ignes)
 Et femur ancipiti fidus praecingitur ense.

Ed. A. Wilmart, Studi medievali, Nuova serie 9, 1936.

11.století

Carmina Cantabrigiensia

Modus Liebinc (De puero niveo)

- 1a Advertite,
 omnes populi,
 ridiculum
 et audite, quomodo
 Suevum mulier
 et ipse illam
 defraudaret
- 1b Constantiae
 civis Suevulus
 trans equora
 gazam portans navibus
 domi coniugem
 lascivam nimis
 relinquebat
- 2a Vis remige
 triste secat mare,
 ecce subito
 orta tempestate
 furit pelagus,
 certant flamina,
 tolluntur fluctus,
 post multaque exulem
 vagum litore
 longinquo nothus
 exponebat.
- 2b Nec interim
 domi vacat coniux;
 mimi aderant,
 iuvenes secuntur,
 quos et inmemor
 viri exulis
 excepit gaudens
 atque nocte proxima
 pregnans filium
 iniustum fudit
 iusto die.

- 3a Duobus
volutis annis
exul dictus
revertitur.
Occurrit
infida coniux
secum trahens
puerulum.
Datis osculis
maritus illi
«De quo», inquit, «puerum
istum habeas,
dic, aut extrema
patieris.»
- 3b At illa
maritum timens
dolos versat
in omnia.
«Mi», tandem,
«mi coniux», inquit,
«una vice
in Alpibus
nive sitiens
extinxi sitim.
Inde ergo gravida
istum puerum
damnoso foetu
heu gignebam.»
- 4a Anni post hec quinque
transierunt aut plus,
et mercator vagus
instauravit remos:
ratim quassam reficit,
vela alligat
et nivis natum
duxit secum.
- 4b Transfretato mari
producebat natum
et pro arrabone
mercatori tradens
centum libras accipit
atque vendito
infante dives
revertitur.
- 5a Ingressusque domum
ad uxorem ait:
«Consolare, coniux,
consolare, cara:
natum tuum perdidit,

quem non ipsa tu
me magis quidem
dilexisti.

5b Tempestate orta
nos ventosus furor
in vadosas sirtes
nimis fessos egit,
et nos omnes graviter
torret sol, at il-
le nivis natus
liquescebat.»

6 Sic perfidam
Suevus coniugem
deluserat;
sic fraus fraudem vicerat:
nam quem genuit
nix, recte hunc sol
liquefecit.

Die Cambridger Lieder (Carmina Cantabrigiensia). Ed. Karl Strecker. Berlin 1926, přetisk Hannover 1993

Iam dulcis amica venito

1. Iam dulcis amica uenito,
Quam sicut cor meum diligo;
[Intra in cubiculum m]eum
Ornamen[tis cunctis] ornatum.
2. Ibi sunt sedilia strata
Atque uelis domus parata,
Floresque in [domo] sparguntur
Herbeque flagrantis miscentur.
3. Est ibi mensa apposita
Vniuersis cibus honusta,
Ibi clarum uinum habundat
Et quicquid [te], cara, delectat.
4. Ibi sonant dulces simphonie
Inflantur et altius tibie,
Ibi puer et docta puella
Canunt <tibi> cantica pulchra.
5. H[ic cum] plectro cith[aram tan]git,
Illa melos cum lira pangit,
Portantque ministri pateras
Diuersis p[oc]ulis plenas.
6. "Ego fui sola in silua
Et dilexi loca secreta
Fugique frequentius turbam
Atque plebis cateruam.

7. Vt . s . p . l
 ... que silenti
 [t]umul[tum]
 populum [mu]ltum.
8. Non [me iuuat tantum con]uiuuium,
 Qu[antum predolce c]olloquium,
 [Nec rerum tantarum uber]tas
 [Vt] clara fam[iliaritas.]"
9. Quid [iuuat differre, e]lecta,
 Que sunt [tamen post facienda!]
 Fa[c cita,] quod eris [factura,]
 [In me non est aliqua] mora.
10. [Iam nunc ueni, soror electa]
 Ac om<nibus> d[ilecta,]
 Lux mee clara pupille
 [Parsque maior anime mee.]

Jedna z rekonstrukcí porušeného textu této básně (viz Sestra Múza s. 524-525)

Ruodlieb

(ukázka z posledních dochovaných veršů; autograf, fragment XIV, CLM 19486, f. 34r)

- Exiliens et abire volens salit undique clamans,
 Dum lassus cecidit vix spiramenque recepit.
 Cui vigor ut rediit, ad Ruodlieb humillime dixit:
 «Parce mihi misero, scio quod gratum tibi dico.
 5 Si me non occideris atque manus mihi solves,
 Monstro tibi censum binorum denique regum,
 Et patris et nati, qui tecum preliaturi
 - Nomen habet genitor Immunch, sed filius Hartunch -
 A te vincuntur, ambo per te perimentur.
- 10 Filia sed regis - heres tunc sola superstes
 Regni totius, Heriburg, pulcherrima virgo -
 Est tibi lucranda, sed non sine sanguine magno,
 Ni quod consiliar facias, ego quando resolver.»
 Ruodlieb ait nano: «non occidendus es a me.
- 15 Te cito solvissem, tibi si confidere possem;
 Si me non fallis, a me sanus remeabis.
 Quando potens fueris tuimet, nil post mihi dices.»
 «Absit, ut inter nos umquam regnaverit hec fraus:
 Non tam longevi tunc essemus neque sani.
- 20 Inter vos nemo loquitur, nisi corde doloso;
 Hinc nec ad etatem maturam pervenietis.
 Pro cuiusque fide sunt eius tempora vite.
 Non aliter loquimur, nisi sicut corde tenemus,
 Neve cibos varios edimus morbos generantes,
- 25 Longius incolomes hinc nos durabimus ac vos.
 Non mihi diffidas, faciam, mihi quod bene credas.
 Si mihi diffidas, mea coniunx sit tamen obses.»

30 Hanc vocat ex antro, que mox processerat illo,
Parva nimis pulchra, sed et auro vesteque compta.
Que ruit ante pedes Ruodlieb fundendo querelas:
«Optime cunctorum, vinclis mihi solve maritum
Meque tene pro se, donec persolverit omne!»

Unibos

1. Rebus conspectis seculi
Non satiantur oculi;
Aures sunt in hominibus
Amice nouitatibus.
2. Ad mensam magni principis
Est rumor Vnius Bouis;
Presentatur ut fabula
Per uerba iocularia.
3. Fiunt cibus conuiuia,
Sed uerbis exercitia;
In personarum drammate
Vno cantemus de Boue.
4. Natis natus ridiculis
Est rusticus de rusticis;
Natura fecit hominem,
Sed fortuna mirabilem.
5. Grauis fati commercio
Boues emit pauper homo,
Sub exemplis agricole
Terram laborat scindere.
6. Euentus per horribiles
Nunquam ducit duos boues
Nec simul pungit stimulo
Nec uno ponit sub iugo.
7. Frustra fortunam uincere
Sua certat pauperie,
Duro fatorum stamine
Boues perdit assidue.
8. Sequax unius fit bouis
Excoriatis reliquis,
A uicinis deluditur,
177. Caritativus presbiter
Fatetur temporaliter:
'Donec bibamus dulciter
In tonna dormi dulciter.'
178. Tres festinant ad pocula
Bibituri prae camina
Sedent, loquuntur nimium
Bibunt vinum clarissimum.

179. Et cum porcinis gregibus,
Sonore grunniuntibus,
Subulcus transit pervius
In pharetratis renibus.
180. Dum porcos auditi unibos
Tonnae fricare circulos,
Exclamat: 'adversarii,
Ah, non sunt adhuc ebrii!'
181. Horret subulcus de sono
Unibovis incognito,
Vas quernum tangit baculo
Dicens incluso misero:
182. 'Pro que clausus es crimine
In apotheca, perditte?'
Prompte respondet unibos:
'Honores nolo maximos.
183. Hujus coloni patriae
Me compellunt cotidie,
Me volentes efficere
Praepositum potentiae.
184. Ergo nunquam praepositus
Ero meis aetatibus,
Nam sufficit quod habeo
Honores regni renuo.'
185. Subulcus inquit cupidus:
'Me decet honor maximus;
Ego pro te praepositus
Efficiar ditissimus.
186. Compulsus sum fataliter,
Apothecam tuam, miser,
Hoc fuste meo tangere,
Certa me tonna ponere.'
187. Subulcus pellit circulos,
Multum laetatur unibos.
Aperitur vas ligneum.
Fit fortunae commercium.
188. Eicitur, dissolvitur,
Festinanter dimittitur,
Duris fit liber vinculis
Qui jacuit sub circulis.
189. Subulcus intrat concavum
Vas, aptans corpus proprium,
Quasi sentiret lectulum
De floribus compositum.

190. Trux vas obturat unibos,
Strictim reponit circulos,
Per locos transit invios
Ducens porcos pinguissimos.
191. Reversis potatoribus,
Tres, de potationibus,
Dum volvunt tonnam in mare
Audet subulcus dicere:
192. 'Fiam, fiam praepositus,
sub vestris voluntatibus,
Maris ne jacter fluctibus
A vobis jam domitus!'
193. Plenus rino praepositus
In indignationibus
Subulco dixit simplici:
'Non est haec vox dulcis mihi
194. Tonnam certate volvere,
O socii, certissime:
Sit fluctuum praepositus
Hic unibos nequissimus.
195. In ponto salso mergitur,
Apotheca colliditur,
Subulcus, heu, conteritur,
A cunctis obliviscitur.
196. Fatuitatis divites
Tres persolvisse compares
Existimiant novissimas
Unibovis exequias.
197. Post haec in die tertia,
Sollempni tamen feria,
Visitaturus fatuos
Redit magistros unibos.
198. It per villae quadrivium
Tenens in dextra baculum,
Porcorum multitudinem
Deducens ante faciem.
199. Distente prudens bucinat,
Subulci more sibilat,
Rufos cum furvis convocat,
Dente laedentes territat.
200. Qui viderant unibovem,
Ejus dicebant similem,
De quo fama volaverat,
Quod mortuus jam fuerat.
201. Nuntiatur praeposito,
Majori cum presbitero.

- Quod unibos revixerit,
In ponto qui mersus fuit.
202. Tres illi surgunt stupidi,
Famam credentes somnii,
Suis quassantes genibus
Subsellia poplitibus.
203. Formam vident unibovis
Porcini ductricem gregis,
Ipsam sed esse non putant,
Occidisse putaverant.
204. Recognoscunt unibovem
Vident porcorum divitem,
Interrogant, quis dederit
Tot porcos, aut vendiderit?
205. Respondet 'sub prodigio
Maris praecipitatio;
Ad regnum felicissimum
Fui per praecipitium.
206. Inde nunquam recederem,
Si non amassem conjugem,
Quam vidistis resurgere
Veracis tubae murmurae.
207. Non fuit culpa bucinæ
Sed bucinantis pessime,
Omnes si vestrae feminae
Modo stertunt sub pulvere.
208. Heu, cur in pueritis
Me non jactastis ad loca,
Unde felix regredior,
Revertor eruditior?
209. Me jactastis per odium
Ad propitiatorium,
Ubi porcorum sunt greges
Per nullum numerabiles.'
210. Sub ammirationibus
Prius dicit praepositus:
'Nos pernarum spes optima
Monet temptare maria.
211. Me quisquis erit stultior
Parebit' dicit stultior.
Petunt fluctus aequoreos
Post quos incedit unibos.
212. Motus marini personant,
Grunnere porcos aestimant,
Requirunt ab unibove,
Qua sint porcinae semitae?
213. Sed unibos periculum
Dicens designat pessimum,

- Ubi litus est altius,
 Ubi mare profundius.
 214. 'Illuc festini currite,
 Sine metu vos mergite;
 Majores porci sunt aquis,
 Quam sint in terris aridis.'
 215. Unibovis consiliis
 Tres dant se praecipitiis,
 Sub capitali frenesi
 Per saltum stulte mortui.
 216. Inimici consilia
 Non sunt credenda subdola,
 Ostendit ista fabula
 Per seculorum secula.

Versus de Uniboue. Neuedition mit kritischem Kommentar. Ed. Thomas A.-P. Klein. Studi medievali 32, 1991, s. 843-886

Egbertus Leodiensis, *Fecunda ratis*

(De inmitibus magistris et pigris)

Res hodie minor est, here quam fuit, atque eadem cras
 Defluet in peius, mox ante oculos minuetur!
 Hic constare scolas uideo uirgis sine linguis,
 Afficitur caro, mens medicamine nulla fouetur,
 Seuitia incumbit Radamanti seuior ira,
 Et neque sic torquet dampnatas Eachus umbras,
 Exagitata hydris non sic furiatur Herinis.
 Queritur a stultis, quod non docuere, magistris;
 Spiritus intus alet, que non uirgulta ministrant,
 Silua tibi teritur frustra, nisi spiritus assit!
 Cur tua lingua uacat parcens audita docere?
 Qui non audiuit, qui fit, quod scire iubetur?
 Num lapidum rigor est homo, duritia aenea carnis?
 Prospice, ne pereas delinquens in pereunte!
 Hic sterilis rerumque capax affligitur eque;
 Vidi uel didici diuę plus parcere uenę
 Semper et ingenuam parcendo attollere fibram.
 Inmaturus abit, qui ceditur, iste misellus,
 Ante diem referens ad porthmea in ore trientem,
 Solutur in cineres, olim qui profore posset;
 Quam nimia sanguis puerorum cede sititur,
 Tamquam qui patris iugulati strauerit hostem!
 Ingenuus nusquam nutritur ephebus ad unguem,
 Albus erit coruus, si strenuus exit alumnus,
 Perpetuoque dehinc nigros spectabis olores;
 Quorumdam studia et pro porro computo luctas
 Unius aut pretio lentis granoque sinapis
 Cassibus aut tela tenui male nentis araneę.

Ed. E. Voigt, Halle 1889, s. 179-180.

Victimae paschali (Wipo, + 1050)

1	Victimae paschali laudes immolent christiani.		
2	Agnus redemit oves Christus innocens patri reconciliavit peccatores	2a	Mors et vita duello confluxere mirando, dux vitae mortuus regnat vivus.
3	Dic nobis, Maria, quid vidisti in via? Sepulchrum Christi viventis et gloriam vidi resurgentis,	3a	angelicos testes, sudarium et vestes. Surrexit Christus, spes mea, praecedet suos in Galilaea.
4	Credendum est magis Mariae veraci quam Iudaeorum turbae fallaci	4a	Scimus Christum surrexisse a mortuis vere. tu nobis, victor rex, miserere!

Dreves, Anal. 54, 12-13

Otloh od sv. Jimrama, *De doctrina spirituali*

(Prologus – krásně ukazuje metodiku abreviace)

- O quicumque cupis cognoscere dicta salutis
Et sermone breui uis ad diuina moneri,
Aures tam mentis quam corporis huc precor aptes,
Nam tali studio doctrinae uerbula promo
- 5 Vt quae per uarios deberes quaerere libros,
Si mora quaerendi minuat tibi uota legendi,
Si qua uel obscurae sententia longa figurae
Te minus intentum conducat ad ipsa legendum,
Haec sub succincta, nec non plana ratione
- 10 Isthic inuenta citius capias documenta,
Atque per hos ritus, uelut infans lacte nutritus
Sicubi repereris, maiora capessere possis.
Hic, rogo, ne quaeras uel continentia dicta
Siue modos metri maius quam dogmata uerbi,
- 15 Quae licet urbanis possem decorare camenis,
Absit ut hoc studium, quo credo Deo famulari,
Moliar humanae ritu sustollere pompae.

Chceš-li poznat slova spásy

A nechat se ve stručnosti uvést do božských tajemství,

dobře poslouchej ušima tělesnými i duchovníma:

budu teď o křesťanském učení (doctrinae) mluvit s tím záměrem,

aby to, co bys musel hledat v různých knihách

a hledání by tě zdržovalo od touhy přečíst si to,

anebo kdyby tvou pozornost zaměšťovaly složité výrazy

nebo skryté obrazy,

abys zde rychleji našel poučení, které hledáš,

a tímto způsobem abys jako dítě, které se žíví mlékem

mohl pochopit vyšší věci.

*Nehledej zde tedy ani příliš kultivované výrazy,
ani básnické rozměry, ale spíše poučení o pravdě.
Ačkoli bych je mohl ozdobit uměním Múz,
nehodlám tuto svou snahu, o níž věřím, že slouží Bohu,
pozvedat jakoby na vyšší úroveň pomocí lidské slávy.*

Marobudus Redonensis, *Liber lapidum*

20. cap. De corallo

Corallus lapis est, dum vivit in aequore, vimen.
Retibus avulsus, vel caesus acumine ferri,
Aere contactus fit durior et lapidescit;
Quique color viridis fuerat, modo puniceus fit.
Hic velut arbusti ramusculus esse videtur.
Circa semipedem vix longior inveniendus;
Ex quo finguntur gestamina commode multis;
Quippe salutaris gestantibus esse probatur.
Ipsius est, ut ait Zoroastes, mira potestas;
Et sicut scribit Metrodorus optimus auctor,
Fulmina, typhonas, tempestatesque repellit.
A rate vel tecto, vel agro, quocumque geratur.
Ast in vinetis aspersus, et inter olivas,
Aut a ruricolis cum semine jactus in agros,
Grandinis avertit calamis contraria tela,
Multiplicans fructus, ut fertilitate redundant.
Umbras daemonicas, et Thessala monstra repellit.
Introitus praestat faciles, finesque secundos.

Ed. John M. Riddle, Wiesbaden 1977.

Marobudus Redonensis, *Liber decem capitulorum*

1. De apto genere scribendi

Quae iuvenis scripsi, senior, dum plura retracto,
Poenitet, et quaedam uel scripta, uel edita nollem,
Tum quia materies inhonesta leuisque uidetur,
Tum quia dicendi potuit modus aptior esse.
5 Vnde nec inuentu pretiosa, nec arte loquendi,
Vel delenda cito, uel non edenda fuissent.
Sed quia missa semel uox irreuocabilis exit,
Erroremque nefas est emendare priorem,
Restat ut in reliquum iam cautior esse laborem,
10 Ne quid inornate, uel ne quid inutile promam;
Praecipue quia iam ueniae locus esse nequibit,
Qui quondam fuerat, dum stulta rudisque iuuentus,
Et leuis, in culpam poterat toleranda uideri.

(di RENNES, Marobodo. De ornamentis verborum. Liber decem capitulorum. Ed. R. Leotta. Firenze 1998. s. 29)

Marobudus Redonensis, *De ornamentis verborum*

Prologus

- Versificaturo quaedam tibi tradere curo
Scemata uerborum studio celebrata piorum,
Quae sunt in prosa quoque non minimum speciosa
Si potes his ueluti gemmis et floribus uti,
5 Fiet opus clarum uelut ortus deliciarum,
Quo diuersorum fragrantia spirat odorum,
Nec deerit fructus florum de germine ductus:
Mens auditoris persuasa nitore coloris.
Sed si forte rudis uix dum uulgaria cudis;
10 Cum sibi res multas petat, hoc et quaeque facultas?
Prima prius disce, fias ut idoneus hisce,
Paruis imbutus temptabis grandia tutus.
Exemplis igitur quia sic bene res aperitur,
Singula monstraui, per singula particulauit
15 Nomina cum glosis, quibus haec dignoscere possis.

(di RENNES, Marobodo. *De ornamentis uerborum. Liber decem capitulorum. Ed. R. Leotta. Firenze 1998. s. 2)*

I. Repetitio

Repetitio est, cum continenter ab uno atque eodem uerbo in rebus similibus et diuersis principia sumuntur, hoc modo:

Tu mihi rex, mihi lex, mihi lux, mihi dux, mihi uindex,
Te colo, te laudo, te glorificans tibi plaudo.
Femina iustitiam produxit, femina culpam.
Suscipe dulcis aue quo nomen uertitur Euae,
Scala poli fies, Virgo Deum pariens.
Christi praeco pia gaudet ueniente Maria,
Congerat aluus eum, sentit adesse Deum.
Mundi peccato Deus infans uagit in arcto
Quo per eum redeas, ampla poli teneas.
Femina uitalem dedit ortum, femina mortem.
Femina peccauit, peccatum femina lauit.

(* *Suscipe dulcis aue quo nomen uertitur Euae,
Scala poli fies, Virgo Deum pariens.
Christi praeco pia gaudet ueniente Maria,
Congerat aluus eum, sentit adesse Deum.
Mundi peccato Deus infans uagit in arcto
Quo per eum redeas, ampla poli teneas.
Femina peccauit, peccatum femina lauit.*)

* neni v kritické edici

(di RENNES, Marobodo. *De ornamentis uerborum. Liber decem capitulorum. Ed. R. Leotta. Firenze 1998. s. 4)*

VI. Exclamatio

Exclamatio est, quae conficit significationem doloris aut indignationis alicuius per hominis aut urbis aut loci aut rei cuiuspiam compellationem, hoc modo:

*O Asiae flos Troia potens! O gloria quae nunc
 In cineres collapsa iaces! Ubi regia proles
 Ex Hecuba Priami veniens a sanguine divum?
 O Hector, quondam Troium fortissime frustra,
 40 Coniugis in facie defectorumque parentum
 Hostiles poprio foedasti sanguine currus!
 Hanc adeo patriae cladem tua, perfide pastor,
 Navibus invexit diis exsecrata voluptas!*

(di RENNES, Marobodo. *De ornamentis verborum. Liber decem capitulorum. Ed. R. Leotta. Firenze 1998. s. 6, 8)*

Marobudus Redonensis, Vita Thaisidis

Vitam cuiusdam mulieris carmine dicam
 Vt non desperent qui mundi rebus adhaerent,
 Sed per eam discant quia uult Deus ut resipiscant,
 Nec resipiscentes habet ob sua crimina uiles,
 5 Aut sibi pluris erunt qui crimina non habuerunt
 Sed mercede pari iubet hos illosque beari.
 Viuitur in coelo concorditer et sine zelo.
 Pulchra puella nimis fuit olim nomine Thaisis
 Aegypto tota propter sua crimina nota,
 10 Namque Deum spreuit de cuius munere uiuit.
 Corporis ille decor et ad impia facta dedit cor
 Muscipulam Satanae perituris prostituit se;
 Ad turpes usus formosos uendidit artus;
 Noctes insomnes duxit dum suscipit omnes,
 15 Tanta sitis stupri fuit illi, tantaque lucri;
 Miscuit aetates, spreuit consanguinitates;
 Concubitus moechos concessis credidit aequos.
 Difficilis nulli, nisi qui nihil attulit illi.
 Vt domus absque sera fuit omnibus illa chimaera.
 20 Nobilium multi censu praediuite fulti
 Facti mendici sunt dum sua dant meretrici.
 Dum Mars turbat hymen macularunt sanguine limen.
 Ante suas aedes fiebat mutua caedes,
 Et de riuali currebant sanguine riui.
 25 Illa premens stratum gemmis auroque beatum
 Gaudet se rixae causam pretiumque fuisse,
 Et testes oris riuos putat esse cruoris.
 Motus ex fama sanctus Paphnutius abba,
 Egregia uita signisque potens eremita,
 30 Efficitur moestus, flet, fundit pectore quaestus:
 Hei mihi! quot morbis, quam turpibus interit orbis
 Quanta meo pago barathri surrexit imago!
 Protinus exutus laicos uestiuit amictus,
 Dissimulans cuod erat dum Christo perdita quaerat;
 35 Argenti pondus capit ad quos nouerat usus
 Et petit infandae celeberrima tecta puellae.
 Vt fuit intrandi, fuit et data copia fandi;
 Argentum profert, pretiumque libidinis offert.

Illa uiro rapto: Properemus, dixerat, intro,
 40 Et trahit ad lectum non haec ad agenda profectum,
 In quo strata cito dixit: Mi charo, uenito.
 Non faciamus ita, responderat huic eremita,
 Namque patens locus est, latebras nos quaerere ius est.
 Thaisis ait contra: Deus aspicit intus et extra,
 45 Tectaque noctis ei sic sunt quasi nuda diei,
 Quem si formidas, nullo uelamine fidas;
 Si metuens homines latebras quaeris interiores.
 Nescis quod quaeris, quia non metuenda uereris,
 Humanos uisus contemnito pariete fisus.
 50 Intulit hic monachus mulieris uerba secutus:
 Si testis sceleris Deus est, ut et ipsa fateris,
 Nec locus occultus ualet eius claudere uultus,
 Ergo superuacue paries opponitur iste
 Visibus humanis sit enim procul arbiter omnis,
 55 Non tamen euades cum uenerit ultima clades;
 Nam scelerum uindex scelerum fit testis et index.
 O dilecta Deo, regis coelestis imago!
 Si Dominum nosti, cur seruis illius hosti?
 Cur pro tam multis tecum pariterque sepultis
 60 Aeterno digne crucianda cremaberis igne?
 Non debes uitae, non debes fidere formae,
 Omnes terra sumus, cito uita fugit, cito fumus.
 Tam ueris uerbis subito perterrita Thaisis
 Vae mihi, uae, dixit; pedibus senis oscula fixit,
 65 Et lacrymas fundens, et pugnibus pectora tundens
 Ore uirum blando rogat, et suspiria dando
 Vt stans urbe foris exspectat eam tribus horis
 Designansque locum rumpit commercia uocum.
 Inde rapit gazas, pigmenta, monilia, gemmas,
 70 Vestes, argentum, tripodas, crateres et aurum,
 Et quaecunque sua fuerat de carne lucrata,
 In mediumque forum conuectat opes uitiorum,
 Quadringentarum quas constitit esse librarum;
 Suppositoque rogo: Prius haec, ait, igne cremabo
 75 Quam pro seruatis barathri cremer ignibus atri.
 Et prius omnino lecti consorte carebo
 Quam pro commissis barathri demergar abyssis.
 O miseri ciues! de quorum sum male diues
 Qui scelus emistis, et cum mercede petistis,
 80 Praeteritae uitae fructum spectare uenite.
 Pompa superborum redit huc, et lucra malorum;
 Ignis consumet quidquid corruptio gignet;
 Poeniteat mecum uos, quos scelus inquinat aequum,
 Participes culpae meritorum participate.
 85 Flens dabat has uoces, et flere coegerat omnes,
 Cum uidet in tepidam simul omnia lapsa fauillam
 Euolat absque mora detestans facta priora,
 Et sequitur sanctum cupiens coelestia tantum.

Ille puellarum ueniens ad septa sacrarum,
 90 Relligio quarum contemptrix deliciarum
 Huic, si deficeret, solamina ferre ualeret,
 In cellam modicam gaudentem trusit amicam,
 Obstruxitque foris, monstrans exempla rigoris;
 Vna parte tamen breue iussit inesse foramen,
 95 Per quod districtus posset contingere uictus,
 Paruum pondus aquae, panisque die sibi quaque;
 Nam potu gelido restinguitur atra libido,
 Et moritur mundo uiuens de pane secundo.
 Delicias tales iubet ut sibi dent moniales,
 100 Neue quid addatur metuenda uoce minatur.
 Ergo redire parat postquam sua uota patrarat,
 Cum sic de cella clamat miseranda puella:
 Mi pater, ausculta, nec enim paro dicere multa,
 Ne rogo discedas donec mihi quod precer edas.
 Nomen ait Christi, quo nunquam digna fuisti
 Os per pollutum non est producere tutum;
 Nomen diuinum sit ab ore tuo peregrinum,
 Sed neque praesumas in coelum tendere palmas,
 110 Fraude diu blanda quae tractauere nefanda;
 Tantum moesta sede, nec ab hoc sermone recede
 Qui me plasmasti, quaeso, misere roganti,
 Et caput et mentem conuersa tuens orientem,
 Mente licet fessa, nunquam sic dicere cessa.
 115 Haec ubi dicta dedit plorans patriarcha recedit.
 Thais in obscuris solis intenta futuris
 Luce fruens clara cordis se mactat in ara,
 Iamque malis magnis cruciarat se tribus annis,
 Cum Pater ille pius miserando laboribus huius
 120 Christus utrum dederit ueniam sibi noscere quaerit.
 Te petit, Antoni, par cuius relligioni
 Orbis ab extremis uiuebat ad ultima nemo,
 Quid quaerat dicit, quod quaerit postmodo discit.
 Nam iubet insomnes fratres Antonius omnes
 125 Nocte secutura lacrymis et supplice cura,
 Et precibus sanctis aures pulsare Tonantis,
 Pro qua discenda descendit Paphnutius abba,
 Cuilibet ut clausam dignetur pandere causam.
 Nec tamen his aperit quid sit quod discere quaerit
 130 Tunc reliquis potior Paulus cognomine maior
 Mentis in excessu, fixo super aethera gressu,
 Gemmis ornatum cernit radiare grabatum
 Murice constratum, uisuque per omnia gratum,
 Quod tanquam stellae tres seruauere puellae;
 135 Quae dum miratur soli sibi talia fatur:
 Hanc, Pater Antoni, requiem tibi credo reponi.
 Reddita uox, inquit, quae nil dubitabile linquit,
 Non cuius dicis, sed Thaisidis meretricis.
 His ita compertis gressus ad Thaisida uertis,

140 Optime Paphnuti, mox fracto carcere duci
 Praecipis inclusam longo cruciamine tusam,
 Atque renitentem, latebrasque fouere uolentem
 Consolaris ita: Sit pax tibi, sit tibi uita,
 Non ultra plores, finisti namque labores
 145 Omnia commissa tibi noueris esse remissa.
 Reddidit illa Patri: Quod sub tempore carceris atri,
 Quo semper luxi, nil longum, nil graue duxi
 Ad peccatorum numerum pondusque meorum.
 Hoc ita me pressit quod nunquam a mente recessit
 150 Naribus ut flatum sic gessi mente reatum.
 Tunc Pater: Hoc, inquit, tibi nil poenale relinquit,
 Pectore quod tristi perfecte poenituisti;
 Namque Deo gratus plus spiritus est tribulatus,
 Quam tribulata caro cruciamine semper amaro.
 155 Plus cor contritum probat, inque bono stabilitum,
 Quam si compescis te semper ab omnibus escis.
 Quinquies illa tribus uixit super ista diebus,
 Et sic cum Christo, mundo requieuit ab isto.

MPL 171, 1629-1634

Baudri de Bourgueil

134. ADELAE COMITISSAE (*ekfrase komnaty Adély z Blois*)

Vadis, ut insolitos uideas, mea cartula, fastos,
 Vt regum thalamos et comitum uideas.
 Vadis, ut egregiam michi gratifices comitissam,
 Si tamen ipsa prius gratificeris ei.
 5 Gratificeris ei dicens 'comitissa, ualeto,
 Regine potius nomine digna, uale.'
 Hec est illius, si nescis, filia regis,
 Anglos indomitos qui domuit gladio,
 Qui sibi Normannos inhibentes iura paterna
 10 Perculit ense fero subposuitque iugo.

(BURGULIANUS, *Baldricus. Carmina. Ed. K. Hilbert. Heidelberg 1979. s. 149.*)

Participaturus uerbis ipsius, ad ipsam
 90 Accedo et thalamos ocus ingredior.
 De me quippe suis ueluti presaga ministris
 Dixerat; hac de re promptius excipior.
 Obstupui, fateor, substans in limine primo
 Elisios campos esse ratus thalamos.
 95 Nam thalamos operis aulea recentis obibant,
 Quae cum matheries, tunc pretiare opus.
 Serica materies opus est, quod uiuere credas,
 Quod nobis iteret historias ueteres.
 Hinc uideas elementa nouo moderamine iuncta
 100 Et librata suis singula ponderibus
 Antiquumque cahos uideas in parte sequestra:
 Aer, terra manent insimul, ignis, aqua.

Astiterat dictans operantibus ipsa puellis
 Signaratque, suo quid facerent radio.
 105 Erumpit celum, tellus manet, ignis et aer
 Iam uelut euadunt mobilitate sua.
 Corpora iuncta simul faciunt et corpora uiuunt;
 Desuper, ut decuit, est opifex operi.
 Pigras dilabens terras interluit amnis;
 110 Vnde concrete conficiunt maria.
 Viuunt impariter iumenta, uolatile, repens;
 Omnibus his superest, ut dominetur, homo.

(BURGULIANUS, *Baldricus. Carmina. Ed. K. Hilbert. Heidelberg 1979. s. 151-152.*)

97. FLORVS OVIDIO

Fletibus irriguam mitto tibi, Naso, salutem,
 Qua tamen omnino, duma careas, careo.
 Ipse salute cares in Ponti finibus exul;
 Rome sum lugens, ergo salute carens.
 5 Quis procul a patria patrie non semper anhelet
 Ad natale solum nec cupiat reditum?
 Nullus pauperibus locus est, habitatio nulla;
 Nulla sibi proprie mentio fit patrie.
 At qui ciuis eras Romane nobilitatis
 10 Ipsis non impar sanguine Cesaribus,
 Pulsus ad extremos, Parthus quos excolit, agros
 Immerito meritis iungeris exulibus.
 Vt reus iniustam fers duri Cesaris iram;
 Inde nec iniustas ipse fero lacrimas.
 15 Ecce cares Roma; gelidum remoueris ad Histrum,
 Annum dimidiat qua glatialis hiems.
 Orbis Roma caput, qua totus conuenit orbis,
 Orbis imago tibi deliciosa domus.
 Nota teathra tibi, tibi cognita porticus omnis,
 20 Omnis et ipsius nota platea tibi,
 Quo populi coeunt, quo fundunt uota puelle,
 Et loca nota tibi; tu quoque notus eras.
 Fallere te numquam potuit uenatus amorum,
 Retia forte tibi tendere si libuit.
 25 Femina nulla tuis fuit impenitranda sagittis;
 Cedebat iaculis femina cuncta tuis.
 Suspectusque uiris nec eis tamen inuidiosus
 Affectare ipsos ipse tibi poteras.
 Nulli odiosus eras, sed eras gratissimus omni,
 30 Excepto quod te non bene Cesar habet.
 Quippe grauis rumor pulsauit Cesaris aures;
 De te deque sua coniuge rumor erat.
 Nullus amicorum sedauit Cesaris iram;
 Nil tua profecit Musa uel eloquium.
 35 Cesar enim numquam magis implacabilis ulli
 Quam tibi tantilla pro leuitate fuit.

Nulla uiro est tanti res quam de coniuge fama,
Nulla ingrata sui fama pudica thori est.
Nec tamen ad sanctum sunt hec delata senatum:
40 Communi fame carmen amoris obest.
Communi fame res liuida dissimulatur;
Quod noceat, dicit esse poema tuum.
Nec tamen exilio te dignum Musa peregit,
Sed tibi plus Musa Caesaris ira nocet.

(BURGULIANUS, *Baldricus. Carmina. Ed. K. Hilbert. Heidelberg 1979. s. 104-105.*)

98. OVIDIUS FLORO SVO

Quam michi non habeo, mitto tibi, Flore, salutem
Exul ab urbe mea, Naso, poeta tuus;
Exul ab urbe mea, toto magis exul ab orbe,
Orbis barbaries cui proprius locus est.
5 Hic intemperies celorum conglomeratur,
Hic locus est alter, alter et ipse polus,
Hic situs ets alter glaciemque niuemque perennans,
Hic riget antiquo putrida gleba gelu.
Hic me reuera semouit Caesaris ira;
10 Viuo quod exul ego, Caesaris ira potest.
Nec tamen emerui, quod Roma refutat alumnum;
Cuius Romanus exulat immerito.
Si Cesar mitis michi iudicium pateretur,
Cesaris ipse libens iudicium paterer.
15 Non me iudicium damnat, sed dura uoluntas;
Nam quod uult Cesar, Caesaris est ratio.
Sed tempta, si forte tui deferbuit ira
Cesaris, huncque tuum taliter experiar.
Quodsi feruet adhuc nec me uelit ipse reduci,
20 Ex his me saltim gentibus amoueat.
Leniet exilium, si me remouebit ab Histro;
Si mutabo locum, iam quasi liber ero.
Ad me uenturum te carmine significasti;
Sed te uenturum non mea causa rogat.
25 At rogat, ut maneat, ut pulses Caesaris aures;
Quandoque proficiet res iterata michi.
Ipse uidere potes, quia saxum perforat imber
Non ui, sed quadam sedulitate ruens.
Nolo fatigeris; poteris ueniendo perire;
30 Multa uiatores mortis imago tenet.
Obsunt precipites porrecti in sidera montes,
Plurima uallis obest ipsum Acheronta petens.
Ingeminare meos quid uis, periture, dolores?
O utinam peream, si ueniendo peris.
35 Nunc doleo de me; de te nunc ipse dolerem.
Portio tu uite dimidiata mee es.

(BURGULIANUS, *Baldricus. Carmina. Ed. K. Hilbert. Heidelberg 1979. s. 107-108.*)

7. PARIS HELENE

Que uestrum nomen latum uulgauit in orbem,
 Si qua fama meum uestram spirauit in aurem,
 Quis sit Alexander Paris, est res cognita uobis:
 Formarum iudex, quem signat epistola presens.
 5 Scribere, quod scripsi, deitas me multa coegit:
 Fata Iouis, uates Phoebus Frigiique Penates,
 Immo coadiutrix Venus et presaga futuri,
 Que dea uotiuus nequit esse iugalibus absens;
 Quippe Venus semper iustos dispensat amores
 10 Et nichil est, Cipridem quod disparet atque Hymeneum.
 Ex aditis igitur uel uox delata sub auras
 Vel dii presentes nec enim me fallere possunt;
 Nam nec adhuc aliquem cortina fefellit eorum.
 Sepe quidem numero super hoc me commonuerunt,
 15 Hi michi dixerunt, quia Teucro nubet Achiua,
 Nubet Alexandro Troiano filia Lede,
 Que deducta potens a gentis origine Graie,
 Femina prepollens a nobilitate Pelasga
 Transferet Argiuas ad Troiam sola Micenas
 20 Et multis annis regno regnabitur uno,
 Vltro continuus Tirio miscabitur Argus.
 Ergo premonitus diis uaticinantibus ecce
 Ipse tibi pando, quod rettulit augur Apollo,
 Quod tibi portendunt per me responsa deorum
 25 Et tibi, ni fallor, mens iam diuinat idipsum.

(BURGULIANUS, Baldricus. *Carmina*. Ed. K. Hilbert. Heidelberg 1979. s. 21.)

8. HELENA PARIDI

360 Littera, queso, mea Paridem michi sepe saluta;
 Sepe salutato Paridi me gratificabis.
 Non tardabit enim, si gratificabimur illi.
 Expectate ueni Paris, ut pariter redeamus,
 Ne faciendo moras ortantis uota retundas,
 365 Ne michi mentem dii uel mutant aequora uenti.
 Sic michi rescribas, ut tu tua carmina reddas,
 Quatenus exponas non intellecta legenti,
 Presenti presens ut possis dicere: sic est.
 Immo, quod expecto, michi dicas, illud aueto;
 370 Suscipiasque meum tibi me dicente ualet.

(BURGULIANUS, Baldricus. *Carmina*. Ed. K. Hilbert. Heidelberg 1979. s. 39.)

Hildebert z Lavardinu ,*Carmina miscelanea*

Nuper eram locuples multisque beatus amicis, vv. 61-90

Ecce quid est hominis, quid jure vocare paternum,
 Qua miser ille sibi plaudere dote potest?
 Est hominis semper fluere, et tunc tempore labi,
 Est semper quadam conditione mori.
 Est hominis nudum nasci, nudumque reuerti

Ad matrem, nec opes tollere posse suas.
 Est hominis putere solum, saniemque fateri,
 Et miseris gradibus in cinerem redigi.
 Istius est hæres homo prosperitatis, et illum
 Certius hiis dominum prædia nulla manent.
 Res et honor famulantur ei, et præstantur ad horam,
 Et locuples mane vespere pauper erit.
 Nemo potest rebus jus assignare manendi,
 Quæ nutus hominum non didicere pati.
 Jus illis Deus ascripsit, statuitque teneri
 Legibus, et nutu stare vel ire suo.

J. P. Migne, Patrologia Latina, 171

De sancta Trinitate

Alpha et Ó, magne Deus,
 Heli, heli, Deus meus,
 Cuius uirtus totum posse,
 Cuius sensus totum nosse,
 5 Cuius esse summum bonum,
 Cuius opus quicquid bonum.
 Super cuncta, subter cuncta,
 Extra cuncta, intra cuncta.
 Intra cuncta, nec inclusus,
 10 Extra cuncta, nec exclusus;
 Subter cuncta, nec substratus,
 Super cuncta, nec elatus.

(závěr básně, poté co vylíčil hrůzy pekla):

Me receptet Syon illa,
 Syon Daudid urbs tranquilla;
 175 Cuius faber auctor lucis,
 Cuius porte lignum crucis;
 Cuius claves lingua Petri,
 Cuius ciues semper leti;
 Cuius muri lapis uiuus,
 180 Cuius custos rex festiuus.
 In hac urbe lux solemnus,
 Ver eternum, pax perennis;
 In hac odor implens celos,
 In hac semper festum melos.
 185 Non est ibi corruptela,
 Non defectus, non querela;
 Non minuti, non deformes:
 Omnes Christo sunt conformes.
 Vrbs celestis, urbs beata,
 190 Supra petram collocata;
 Vrbs in portu satis tuto,
 De longinquo te saluto.

Te saluto, te suspiro,
 Te affecto, te requiro.
 195 Quantum tui gratulentur,
 Quam festiue conuiuentur,
 Quis affectus eos stringat,
 Aut que gemma muros pingat,
 Quis calcedon, quis iacinctus,
 200 Norunt illi qui sunt intus.
 In plateis huius urbis,
 Sociatus pius turbis,
 Cum Moyse et Elia
 Pium cantem alleluya.

(HILDEBERTUS *Cenomannensis Episcopus. Carmina minora. Ed. A. B. Scott. Monachii et Lipsiae: Saur 2001. s. 46-7.*)

36. De Roma

Par tibi, Roma, nihil cum sis prope tota ruina.
 quam magni fueris integra, fracta doces.
 longa tuos fastus etas destruxit, et arces
 Cesaris et superum templa palude iacent.
 5 ille labor, labor ille ruit, quem dirus Araxes
 et stantem tremuit, et cecidisse dolet;
 quem gladii regum, quem provida iura senatus,
 quem superi rerum constituere caput.

 cura hominum potuit tantam componere Romam,
 30 quantam non potuit solvere cura deum.
 hic superum formas superi mirantur et ipsi,
 et cupiunt fictis vultibus esse pares.
 non potuit Natura deos hoc ore creare,
 quo miranda deum signa creavit homo.
 35 vultus adest his numinibus, potiusque coluntur
 artificum studio quam deitate sua.
 urbs felix, si vel dominis urbs illa careret,
 vel dominis esset turpe carere fide.

(HILDEBERTUS *Cenomannensis Episcopus. Carmina minora. Ed. A. B. Scott. Monachii et Lipsiae: Saur 2001. s. 22-3; 24.*)

Quam periculosa mulierum familiaritas

Femina perfida, femina sordida, digna catenis.
 Mens male conscia, mobilis, impia, plena venenis,
 Vipera pessima, fossa novissima, mota lacuna;
 Omnia suscipis, omnia decipis, omnibus una;
 Horrida noctua, publica janua, semita trita;
 Igne rapacior, aspide saevior est tua vita.
 Credere qui tibi vult, sibi sunt mala multa parata.
 O miserabilis, insatiabilis, insatiata.
 Desine scribere, desine mittere carmina blanda,

Carmina turpia, carmina mollia, vix memoranda,
Nec tibi mittere, nec tibi scribere disposui me;
Nec tua jam colo, nec tua jam volo, reddo tibi te.
Me mihi vivere, pace quiescere, sunt mea vota
Consului mihi, consule tu tibi, sis tua tota.
Quoslibet elige, collige, dilige, sint tibi mille;
Sit tibi charior, aut pretiosior ille vel ille.
Mens tua vitrea, plumbea, saxea, ferrea, nequam.
Fingere, fallere, prodere, perdere, rem putat aequam.
Summa potentia funditus omnia destruat ante
Quam mea sumere, quam mea tangere sustineant te

De perversa muliere.

Aufert, includit, fallit, nudat, dat, adurit,
Privat, monstrat, habet, exspoliat mulier.
Primo viventi paradisum, carcere Joseph,
Ornatu Judam, crine virum validum,
Uriae mortem, moechando David, Salomonem

MPL 171

Tractatus de quaerimonia et conflictu spiritus et carnis

Incendio domus mea corruerat, et reficiendi sollicitus anhelabam; ligna caedi praeceperam, quadrari, et expensas operi provideri; totus eram in hoc, et omissis pontificalibus negotiis, quo in loco ponerem fundamenta, quantum palatia extenderem, nunc intuitu, nunc arundine metiebar. Quae dum curiosus geometer insisterem, quaedam ante meos oculos, lugentis habitum gerens, et velut praeter votum aliquid accidisset, similis conquerenti. Forma ejus inenarrabilis, incognita magnitudo, mira ei vivacitas, et quam crederes immortalitatem polliceri. Vultus non semper idem; terram tristis, coelum intuebatur hilarior; coelos ea tenerius respicere, coelos desiderare, et invita mecum morari videbatur. Ipsa quidem primo nive candidior apparuit, et regiis apta complexibus, inaestimabilem, sed precariam, sed aliunde, sicut opinor, acquisitam praeferebat venustatem; dehinc autem quibusdam visa est squallere sordibus, quibus abluendis aquas esse necessarias minime dubitares. In manu ejus libellum, in libello autem poeticum illud scriptum fuisse reminiscor:

Gaudeas an doleas, cupias metuasve, quid ad rem?

Obstupui, fateor, et quid diceret, quid ageret, sub silentio praestolari disposui. Tum illa: Miror, inquit, te sic oblitum mei sic longaevae sodalitatis immemorem, nullum mihi domicilium providere, hospitam tamen esse me noveras, et quod apostolico didiceras testimonio manentem hic non habere civitatem (Hebr. XIII, 14). Haec enim domus, in qua taediosas et carcerales patior angustias, quod solvenda sit, novi; quando autem, non novi: ex luto compacta est, et materiae privilegio ruinam profitetur. Casu pendet ancipiti quidquid ex hujusmodi construitur apparatus. Ego quidem luteum ingressa tentorium, non statim leges ejus intellexi, non attendi ruinas imminentes. Ignoravi enim quam servili conditione domina premeretur, quae continuos incursus illorum sustineret hostium, quos evadere, gloriose triumphare est. Tandem autem, more hospitis, quae secreta domini diuturnior edocet conversatio, magis magisque singula patuerunt, displicuerunt universa, confusas ibi leges, et praeposteros animadverti principatus, servire scilicet matremfamilias, pedissequamque

dominari. Pedissequa male potens, tam imperiosis incantationibus meam fascinaverat libertatem, ut obedirem quaelibet imperanti, sequerer ad omnia praecedentem.

MPL 171, col. 959-991

Reginald z Canterbury

Vita s. Malchi, z prologu:

Iam rogat auctor multumque precatur lectorem, ne in singulis versibus aucupetur historie veritatem. Minimum plane aut omnino nichil referre arbitratus est, utrum ea, quae ostendere intendebat, per vera an per veri similia ostenderet. Tandem si adhuc improbus est, ait: Mittimus eum ad librum quem Hieronimus de eodem Malcho scripserit; quem assumens ac legens conferat hunc nostrum et illius. Ubi eos concordare in historia viderit, credat ambobus. Ubi discordare, non cogitur ut credat nostro, cogitur autem, ut semper credat Jeronimo. Cucurrit ille via regia nec ab alveo declinavit historiae. Nos instar rivuli currentes, modo ripas tenuimus, modo arga rivavimus, dum ea quae per historiam non erant, per artem edidimus. ..Quantaslibet ergo virtutes Malcho personaliter ascripserimus, non a vero deviavimus. At in reliquis, multa nos, ut suum est versificantium, confixisse non negamus.

Ed. L.R.Lind, Urbana Illinois 1942

Adam Bremensis, *Gesta Hamburgensis ecclesiae pontificum*

I 52 ... In diebus illis inmanissima persecutio Saxoniam oppressit, cum hinc Dani et Sclavi, inde Behemi et Ungri laniarent ecclesias.

II 22 Ultra Leuticios, qui alio nomine Wilzi dicuntur, Oddara flumen occurit, ditissimus amnis Sclavaniae regionis... | Sicut ergo predictum est, Oddara flumen oritur in profundissimo saltu Marahorum, ubi et Albia noster principium sortitur.

Schol. **17 (18)** Marahi sunt populi Sclavorum, qui sunt ab oriente Behemorum, habentque in circuitu hinc Pomeranos et Polanos, inde Ungros et crudelissimam gentem Pescinagos, qui humanis carnibus vescuntur.

(*Magnae Moraviae Fontes Historici I, s. 171-172*)

IV, 39

Preterea unam adhuc insulam recitavit a multis in eo repertam oceano, quae dicitur Winland, eo quod ibi vites sponte nascantur, vinum optimum ferentes. Nam et fruges ibi non seminatas habundare non fabulosa opinione, sed certa comperimus relatione Danorum. [Postquam insulam, ait, terra non invenitur habitabilis in illo oceano, sed omnia, quae ultra sunt, glacie intolerabili ac caligine immensa polena sunt. Cuius rei Martianus ita meminit: Ultra Thilen, inquit, navigatione unius diei mare concretum est. Temptavit hoc nuper experientissimus Nordmannorum princeps Haraldus. Qui latitudinem septentrionalis oceani perscrutatus navibus tandem caligantibus ante ora deficientis mundi finibus inmane baratrum abyssis retroactis vestigiis pene vix salvus evasit].

Monumenta Germaniae historica. Scriptores rerum Germanicarum ad usum scholarum II. Ed. B. Schmeidler. Hannoverae et Lipsiae 1917. s. 275-276.

lib. IV (Descriptio insularum Aquilonis)

Cap. 39.

Item nobis retulit beatae memoriae pontifex Adalbertus, in diebus antecessoris sui quosdam nobiles de Fresia viros causa pervagandi maris in boream vela tetendisse, eo quod ab incolis eius populi dicitur ab ostio Wirrahae fluminis directo cursu in aquilonem nullam terram occurrere praeter infinitum oceanum. Cuius rei novitate pervestiganda coniurati sodales a litore Fresonum laeto celeumate progressi sunt. Deinde relinquentes hinc Daniam, inde Britanniam, pervenerunt ad Orchadas. Quibus a laeva dimissis, cum Nordmanniam in dextris haberent, longo traiectu glaciale Island collegerunt. A quo loco maria sulcantes, in ultimum septentrionis axem, postquam retro se omnes, de quibus supra dictum est, insulas viderunt, omnipotenti Deo et sancto confessori Willehado suam commendantes viam et audatiam, subito collapsi sunt in illam tenebrosam rigentis oceani caliginem, quae vix oculis penetrari valeret. Et ecce instabilis oceani euripus ad initia quaedam fontis sui archana recurrens, infelices nautas iam desperatos, immo de morte sola cogitantes, vehementissimo impetu traxit ad chaos [hanc dicunt esse voraginem abyssi -] illud profundum, in quo fama est omnes recursus maris, qui decrescere videntur, absorberi et denuo revomi, quod fluctuatio crescens dici solet. Tunc illis solam Dei misericordiam implorantibus, ut animas eorum susciperet, impetus ille recurrens pelagi quasdam sociorum naves abripuit, ceteras autem revomens excursio, longe ab alteris post terga reppulit. Ita illi ab instanti periculo, quod oculis viderant, oportuno Dei auxilio liberati, toto nisu remorum fluctus adiuvarunt.

Cap. 40.

Et iam periculum caliginis et provintiam frigoris evadentes, insperate appulerunt ad quandam insulam altissimis in circuitu scopulis ritu oppidi munitam. Huc visendorum gratia locorum egressi, reppererunt homines in antris subterraneis meridiano tempore latitantes; pro quorum foribus infinita iacebat copia vasorum aureorum et eiusmodi metallorum, quae rara mortalibus et preciosa putantur. Itaque sumpta parte gazarum quam sublevare poterant, laeti remiges festine remeant ad naves. Cum subito retro se venientes contemplati sunt homines mirae altitudinis, quos nostri appellant Cyclopes; eos antecedeant canes magnitudinem solitam excedentes eorum quadrupedum. Quorum incursum raptus est unus de sociis, et in momento laniatus est coram eis reliqui vero suscepti ad naves, evaserunt periculum, gygantibus, ut referebant, pene in altum vociferando sequentibus. Tali fortuna comitati Fresones Bremam perveniunt, ubi Alebrando pontifici ex ordine cuncta narrantes, pio Christo et confessori eius Willehado reversionis et salutis suae hostias immolarunt.

[Sunt et alia quae non incongrue essent dicenda hoc loco de illo aestu maris in die bis citato; quod miraculum praebet omnibus maximum; ita ut ipsi, qui archana rerum phisici perscrutantur, in dubitationem cadant eius rei, cuius ignorant originem. Cumque Macrobius et Beda videantur ex illa re aliquid loqui, Lucanus autem nichil se scire fateatur, diversi auctores variis pugnant sententiis; omnes autem incertis abeunt rationibus, nobisque sufficit cum propheta clamare: 'Quam magnificata sunt opera tua, Domine! omnia in sapientia tu fecisti; impleta est terra possessione tua'. Et iterum: 'Tui sunt coeli, et tua est terra, et tu dominaris potestati maris, et iudicia tua abyssus multa', ideoque iure dicuntur 'incomprehensibilia' .]

Cap. 41.

Haec sunt quae de natura septentrionalium regionum comperimus ad honorem sanctae Hammaburgensis ecclesiae ponenda, quam tanto munere divinae pietatis praeditam videmus, ut innumerabilem populorum multitudinem, quorum metropolis haec facta est, labore suae praedicationis ex magna iam parte conversos habeat ad christianitatem, ibi solummodo ponens euangelizandi silentium, ubi mundus terminum habet. Quae salutifera gentium legatio

primum a sancto Anscario incepta, prosperis semper usque in hodiernum diem aucta est incrementis, usque ad transitum magni Adalberti per annos circiter ducentos quadraginta.

Cap. 42.

Ecce illa ferocissima Danorum sive Nordmannorum aut Sueonum natio, quae, iuxta verba beati Gregorii, 'nichil aliud scivit nisi barbarum fremdere, iam dudum novit in Dei laudibus alleluia resonare'. Ecce populus ille pyraticus, a quo totas olim Galliarum et Germaniae provincias legimus depopulatas, suis nunc finibus contentus est, dicens cum apostolo: 'Non habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus', et 'Credimus videre bona Domini in terra viventium'. Ecce patria illa horribilis, semper inaccessa propter cultum ydolorum, - 'et Scythicae non mitior ara Dianae', deposito iam naturali furore, praedicatores veritatis ubique certatim admittit, destructisque demonum aris, ecclesiae passim eriguntur et nomen Christi communi ab omnibus effertur praeconio. Nimirum 'haec est mutacio dexterarum Excelsi', et tam velociter currit sermo omnipotentis Dei, ut a solis ortu et occasu, ab aquilone et meridie laudabile sit nomen Domini, et omnis lingua confiteatur, quia dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris, cum Patre et Sancto Spiritu vivens et regnans per omnia saecula saeculorum. Amen.

Adam von Bremen, Hamburgische Kirchengeschichte (Magistri Adam Bremensis Gesta Hammaburgensis ecclesiae pontificum). Herausgegeben von Bernhard Schmeidler. 1917. Nachdruck 1993 (Scriptores rerum Germanicarum in usum scholarum separatim editi)

Guido Aretinus, *Micrologus*

Incipit Prologus

Cum me et naturalis conditio et bonorum imitatio communis utilitatis diligentem faceret, cepi inter alia musicam pueris tradere. Tandem affuit divina gratia, et quidam eorum imitatione chordae ex nostrarum notarum usu exercitati ante unius mensis spatium invisos et inauditos cantus ita primo intuitu indubitanter cantabant, ut maximum plurimis spectaculum praebetur; quod tamen qui non potest facere, nescio qua fronte se musicum vel cantorem audeat dicere. Maxime itaque dolui de nostris cantoribus qui etsi centum annis in canendi studio perseverent, numquam tamen vel minimam antiphonam per se valent efferre, semper discentes, ut ait Apostolus, et numquam ad scientiam veritatis pervenientes. Cupiens itaque tam utile nostrum studium in communem utilitatem expendere, de multis musicis argumentis quae adiutore Deo per varia tempora acquisivi, quaedam quae cantoribus proficere credidi, quanta potui brevitate perstrinxi; quae enim de musica ad canendum minus prosunt, aut si quae ex his quae dicuntur non valent intelligi, nec memoratu digna iudicavi, non curans de his, si quorundam livescat invidia, dum quorundam proficiat disciplina.

Explicit prologus.

Capitulum I: Quid faciat qui se ad disciplinam musicae parat

Igitur qui nostram disciplinam petit, aliquantos cantus nostris notis descriptos addiscat, in monochordi usu manum exerceat, hasque regulas saepe meditetur, donec vi et natura vocum cognita ignotos ut notos cantus suaviter canat. Sed quia voces quae huius artis prima sunt fundamenta, in monochordo melius intuemur, quomodo eas ibidem ars naturam imitata discrevit, primitus videamus.

Capitulum XIV: Item de tropis et vi musicae

Horum quidam troporum exercitati ita proprietates et discretas ut ita dicam, facies extemplo ut audierint, recognoscunt, sicut peritus gentium coram positis multis habitus eorum intueri potest et dicere: hic Graecus est, ille Hispanus, hic Latinus est, ille Teutonicus, iste vero Gallus. Atque ita diversitas troporum diversitati mentium coaptatur ut unus autenti deuteri fractis saltibus delectetur, alius plagae triti eligat voluptatem, uni tetrardi autenti garrulitas magis placet, alter eiusdem plagae suavitatem probat; sic et de reliquis.

Nec mirum si varietate sonorum delectatur auditus, cum varietate colorum gratuletur visus, varietate odorum foveatur olfactus, mutatisque saporibus lingua congaudeat. Sic enim per fenestras corporis habilium rerum suavis intrat mirabiliter penetralia cordis. Inde est quod sicut quibusdam saporibus et odoribus vel etiam colorum intuitu salus tam cordis quam corporis vel minuitur vel augetur. Ita quondam legitur quidam phreneticus canente Asclepiade medico ab insania revocatus. Et item alius quidam sonitu citharae in tantam libidinem incitatus, ut cubiculum puellae quaereret effringere dementatus, moxque citharoedo mutante modum voluptatis poenitentia ductum recessisse confusum.

Item et David Saul daemonium cithara mitigabat et daemoniacam feritatem huius artis potenti vi ac suavitate frangebatur. Quae tamen vis solum divinae sapientiae ad plenum patet, nos vero quae in aenigmate ab inde percepimus. Sed quia de artis virtute vix pauca libavimus, quibus ad bene modulandum rebus opus sit videamus.

Guidonis Aretini opera. Ed. J. P. Migne, Patrologia Latina, CXLI, Paris 1850

Petrus Damiani , z korespondence:

Domno BONO HOMINI prudentissimo iudici PETRUS peccator monachus fraternae vinculum charitatis.

Non ignoro quia cum mea epistola grammaticorum saecularium manibus traditur, mox utrum adsit artificiosi styli lepor attenditur, rhetoricae venustatis color inquiritur, et captiosos syllogismorum atque enthymematum circulos mens curiosa rimatur. Aucupatur nimirum scientiam, quae inflat; charitatem autem, quae aedificat, non miratur (I Cor. VIII) ; sed juxta Salomonem: «Verba servorum Dei debent esse quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi (Eccle. XII) .» Quae profecto verba idcirco clavis et stimulis comparantur, quia vitam carnalium acutis solent invectionibus pungere, non male blanda delinificae assentationis unctione palpare. Mea igitur grammatica Christus est, qui homo pro hominibus factus est, et in ipso quidquid potest fratrum meorum aedificationi consulere, hoc solum mea novit epistola redolere.

MPL 145, 476.

Petrus Damiani Vita Sancti Romualdi

CAPUT X. De comite qui vaccam rapuit, et eam comedendo necatus est.

Quodam vero tempore, dum adhuc in Galliae finibus moraretur, familiarem sibi quemdam habebat agricolam, qui sibi et utensilia quibus in cella opus est aliquando faciebat, et si quid ei opportunum esset, ditior charitate quam rebus, de suae paupertatis inopia hilariter ministrabat. Hujus vaccam comes quidam superbus et tumidus, missis parasitis, impetu barbarico rapuit, ejusque carnes praeparari sibi ad prandium cum magna gulae aviditate praecepit. Ecce autem rusticus cellam Romualdi festinus aggreditur, jacturae suae casum clamoris ululatibus vociferatur, spem suam et suae domus ablatam esse conqueritur. Sanctus itaque Romualdus ad eundem comitem concito gradu nuntium dirigit, et ut pauperi animal suum reddat humillima supplicatione deposcit. Cujus preces lubricus comes protervo spiritu

respuit, et quem saporem crassae vaccae lumbi potuissent habere, quia ipso die esset gustaturus, asseruit. Adveniente autem hora prandii, apposita mensa, vaccae carnes allatae sunt, et, divinae ultionis jam imminente sententia, in ipso edendi initio comes frustum bovini renis abscindens, sibi in os misit. Quod repente in illius gutture tam immobiliter haesit, ut nec ad interiora descendere nec foras ejici ullis conatibus potuisset. Sicque inter suorum manus intercluso spiraminis aditu terribili morte necatus est, et unde contra Dei servum concupiscentiam carnis explere ad saturitatem voluit, inde justo Dei judicio carnalem vitam adhuc jejunos amisit.

MPL 144

12.století

Carmina Burana

15. Ludus paschalis

Incipit ludus immo exemplum dominice resurrectionis.

Cantatis matutinis in die pasche omnes persone ad ludum disposite sint parate in loco speciali secundum suum modum et procedant ad locum, ubi sit sepulchrum. Primum veniat Pilatus et uxor sua cum magnis luminibus, militibus precedentibus, accessoribus sequentibus, deinde pontificibus et Iudeis; post hec veniant angeli et Marie et apostoli.

Ingressus Pilatus cum Iesu in pretorium; tunc ait illi: tu es rex Iudeorum. Respondit: Tu dicis, quia rex sum. Exivit ergo Iesus de pretorio portans coronam et vestem purpuream; et cum indutus fuisset, exclamaverunt omnes: Crucifigatur, quia filium Dei se fecit.

Versus:

Tunc ait illis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Regem non habemus nisi Cesarem.

Primum cantent pontifices:

O domine, recte meminimus,
quod a turba sepe audivimus,
seductorem consuetum dicere:
„post tres dies volo resurgere“.

Pilatus:

Sicut michi dictat discretio
et astuta vestra cognitio,
michi crimen vultis imponere
de Iesu, quem fecistis perdere.

Pontifices:

Vestra virtus et sapientia
nobis valde est necessaria;
seductoris namque discipuli
machinantur ruinam populi.

Uxor Pilati:

Versutia horum non faciat,
ut sepulchrum preses custodiat;
vestra namque perpendat gloria,
quanta passa fui per somnia.

Assessores:

Militibus ergo precipias
custodire noctis vigiliis,
ne furentur illum discipuli
et dicant plebi: „surrexit a mortuis.“

Iudei stent ante Pilatum et cantent:

Audi, preses, nostras preces,
ne sis deses; nobis debes
hos prestare milites
ad sepulchrum, ut defunctus
observetur, ne tollatur
suis a discipulis.

Respondet Pilatus:

En habetis custodum copiam.
Custodite noctis vigiliam,
ne furentur illum discipuli
et dicant eum vivere populi!

Tunc Iudei se vertant ad milites parum:

Militibus damus pecuniam,
ut habeant semper custodiam
seductoris, qui dixit temere:
„post tres dies volo resurgere“.

Milites petent pecuniam:

Quid mercedis ob hoc habebimus,
si custodes vestri manserimus,
ne tollant Iesum discipuli
et credant eum vivere populi?

Iudei ostendant illis pecuniam:

O viri fortes, vobis dabimus pretium. Custodite sepulchrum!

Deinde exhibeant denarios in numero:

Nummos centum quivis accipiat
vel talentum, ut non decipiat,
sed custodes existant tumuli,
ne furentur illum discipuli.

Demum in toto sine numero:

Pecunia militibus abunde tradatur,
ne seductor perfidus furtim auferatur.

Tunc veniant Marie inquirendo aromata et cantent simul:

Aromata pretio querimus
corpus Iesu ungere volumus.
aromata sunt odorifera
sepulture Christi memoria.

Tunc apothecarius audiens eas vocet:

Huc propius flentes accedite
et unguentum, si vultis, emite!
aliter nusquam portabitis.
Vere quantus est dolor vester!

Item Marie:

Dic tu nobis, mercator iuvenis,
hoc unguentum si tu vendideris,
dic pretium pro quanto dederis.
Heu, quantus est dolor noster!

Apothecarius:

Dabo vobis unguenta optima,
salvatoris ungere vulnera
sepulture eius in memoriam
et nomini eius ad gloriam.

Uxor apothecarii levet pyxidem et cantet:

Hoc unguentum si vultis emere,
auri talentum michi tradite,
aliter nusquam portabitis.
Vere quantus sit dolor vester!

Et sic ement aromata.

Apothecarius ostendat eis viam ad sepulchrum:

Hes est vera semita,
que recta, non per devia
 vos ducet ad hortum.
ibi cum veneritis,
illum, quem vos queritis,
 videbitis Iesum,
 salvatorem vestrum.

62

Dum Diane uitreaSero lampas oritur,
Et a fratris rosea
Luce dum succenditur,
Dulcis aura zephyri,
Spirant omnes etheri,
Nubes tollit,
Sic emollit
Vi chordarum pectora,
Et inmutat
Cor, quod nutat
Ad amoris pignora.
Laetum iubar Hesperii
Gratiorem
Dat humorem
Roris soporiferi
Mortalium generi.

92, De Phyllide et Flora - strofa 1-7

1. Anni parte florida,
 Caelo puriore,
 Picto terrae gremio
 Vario colore,
 Dum fugaret sidera
 Nuntius Aurorae,
 Liquit somnus oculos
 Phyllidis et Florae.
2. Placuit uirginibus
 Ire spatium,
 Nam soporem reicit
 Pectus sauciatum;
 Aequis ergo passibus
 Exeunt in pratum,
 Vt et locus faciat
 Ludum esse gratum.
3. Eunt ambe virgines et ambe regine,
 Phyllis coma libera, Flore compto crine.

Non sunt forme virginum, sed forme divine,
et responden facies luci matutine.
Nec stirpe nec facie nec ornatu viles
et annos et animos habent iuveniles.
Sed sunt parum impares et parum hostiles,
nam huic placet clericus et huic placet miles.

.....

6. Susurrabat modicum ventus tempestivus,
locus erat viridi gramine festivus,
et in ipso gramine defluebat rivus
vividus atque garrulo murrure lascivus.
7. Ad augmentum decoris et caloris minus
fuit secus rivulum spatiosa pinus,
venustata folio, late pandens sinus,
nec intrare poterat calor peregrinus.

105. Tempus adest floridum

1. Tempus adest floridum,
Surgunt namque flores,
Vernales mox in omnibus
Iam mutantur mores.
Hoc quod frigus laeserat,
Reparant calores,
Cernimus hoc fieri
Per multos colores.
2. Stant prata plena floribus,
In quibus nos ludamus.
Virgines cum clericis
Simul procedamus,
Per amorem Veneris
Ludum faciamus,
Ceteris uirginibus
Vt hoc referamus.
3. O dilecta domina,
Cur sic alienaris?
An nescis, o carissima,
Quod sic adamaris?
Si tu esses Helena,
Vellem esse Paris:
Tamen potest fieri
Noster amor talis.

Archipoeta, *Carmina*, V

Archicancellarie, vir discrete mentis,
Cuius cor non agitur levitatis ventis
Aut morem transgreditur viri sapientis,
Non est in me forsitan id, quod de me sentis.

Audi preces, domine, veniam petentis,
Exaudi suspiria gemitusque flentis
Et opus inpositum ferre non valentis,
Quod probare poterō multis argumentis.

Tuus in perpetuum servus et poeta
Ibo, si preceperis, etiam trans freta,
Et, quodcumque iusseris, scribam mente leta,
Sed angusti temporis me coartat meta.
[Iubes angustissimo spacio dierum
Me tractare seriem augustarum rerum,
Quas neque Virgilium posse nec Homerum
Annis quinque scribere constat esse verum.]

Vis, ut infra circulum parve septimane
Bella scribam forcia breviter et nane,
Que vix in quinquennio scriberes, Lucane,
Vel tu, vatum maxime, Maro Mantuane.

Vir virorum optime, parce tuo vati,
Qui se totum subicit tue voluntati!
Precor, cum non audeam opus tantum pati,
Ut rigorem temperes ardui mandati.

Nosti, quod in homine non sit eius via.
Prophecie spiritus fugit ab Helya,
Helyseum deserit sepe propheta,
Nec me semper sequitur mea poetria.

Aliquando facio versus mille cito
Et tunc nulli cederem versuum perito.
Sed post tempus modicum cerebro sopito
Versus a me fugiunt carminis oblito.

Que semel emittitur, nescit vox reverti.
Scripta sua corrigunt etiam disertis.
Versus volunt corrigi denuoque verti,
Ne risum segnicies pariat inertis.

Loca vitant publica quidam poetarum
Et secretas eligunt sedes latebrarum,
Student, instant, vigilant nec laborant parum
Et vix tandem reddere possunt opus clarum.

Ieiunant et abstinent poetarum chori,
Vitant rixas publicas et tumultus fori
Et, ut opus faciant, quod non possint mori,
Moriuntur studio subditi labori.

Unicuique proprium dat Natura munus.
Ego numquam potui scribere ieiunus,
Me ieiunum vincere posset puer unus:
Sitim et ieiunium odi quasi funus.

Unicuique proprium dat Natura donum.
Ego versus faciens bibo vinum bonum

Et quod habent purius dolia cauponum.
Tale vinum generat copiam sermonum.

Tales versus facio, quale vinum bibo,
Nichil possum facere nisi sumpto cibo,
Nichil valent penitus, que ieunus scribo;
Nasonem post calicem carmine preibo.

Michi numquam spiritus poetrie datur,
Nisi prius fuerit venter bene satur.
Dum in arce cerebri Bachus dominatur,
In me Phebus irruit et miranda fatur.

Scribere non valeo pauper et mendicus,
Que gessit in Lacio Cesar Fridericus,
Qualiter subactus est Tuscus inimicus,
Preter te, qui Cesaris integer amicus.

Poeta pauperior omnibus poetis,
Nichil prorsus habeo, nisi quod videtis.
Unde sepe lugeo, quando vos ridetis.
Nec me meo vicio pauperem putetis!
Fodere non debeo, quia sum scholaris,

Ortus ex militibus preliandi gnaris;
Sed quia me terruit labor militaris,
Malui Virgilium sequi quam te, Paris.
Mendicare pudor est, mendicare nolo,
Fures multa possident, sed non absque dolo.

Quid ergo iam faciam, qui nec agros colo,
Nec mendicus fieri nec fur esse volo?
Sepe de miseria mee paupertatis
Conqueror in carmine viris litteratis;
Laici non capiunt ea, que sunt vatis,
Et nil michi tribuunt, quod est notum satis.

A viris Teutonicis multa solent dari,
Digni sunt pre ceteris laude singulari.

.....
.....

Presules Italie, presules avari,
Pocius ydolatre debent nominari,
Vix quadrantem tribuunt pauperi scolari.
Quis per dona talia poterit ditari?

Doleo, cum video leccatores multos
Penitus inutiles penitusque stultos,
Nulla prorsus animi ratione fultos
Sericis et variis indumentis cultos.

Vellem, soli milites eis ista darent,
Et de nobis presules nostri cogitarent,

Non leonum spoliis asinos ornarent,
Sed dum querunt gloriam, pietate carent.

Eia nunc pontifices pietatis mire,
Cum poeta soleat foris esurire,
Mimi solent cameras vestras introire,
Qui nil sciunt facere preter insanire.

Pereat ypocrisis omnium parcorum,
Scimus, quod avarus est cultor ydolorum.
Commendetur largitas presulum largorum,
Electus Colonie primus est eorum.

In regni negociis potens et peritus
A regni negotio nomen est sortitus,
Precepti Dominici memor, non oblitus
Tribuit hilariter, non velud invitus.

Unde fit, ut aliquid petere presumam:
Nudus ego, metuens frigus atque brumam,
Qui vellus non habeo nec in lecto plumam,
Tam libenter michi det, quam libenter sumam.

Archicancellarie, spes es mea solus,
In te non est macula, non est in te dolus.
Longa tibi tempora det fatalis colus,
Cuius illustrabitur claritate polus.

Nummos, quos tu dederas, bene dispensavi,
Pauperem presbiterum hac estate pavi,
Ut te Deus protegat in labore gravi
Et coram te corruant inimici pravi.

Largum habens dominum nolo parcus esse,
Nolo sine socio mea frui messe,
Nobilis est animi pluribus prodesse,
Largo numquam poterit animo deesse.

Secundum quod habeo, tribuo libenter
Neque panem comedo solus et latenter
Et non sum, qui curias intrem inprudenter,
Sicut illi faciunt, quorum Deus venter.

Archicancellarie, spes et vita mea,
In quo mens est Nestoris et vox Ulixea,
Christus tibi tribuat annos et trophea
Et nobis facundiam, ut scribamus ea.

Edice: Die Lieder des Archipoeta. Ed. K. Langosch, Stuttgart 1977.

Adam od sv. Viktora, *Splendor Patris et figura*

1. Splendor Patris et figura
Se conformans homini,
Potestate, non natura,
Partum dedit Virgini.

2. Adam uetus,
Tandem laetus,
Nouum promat canticum:
Fugitiuus
Et captiuus
Prodeat in publicum!
3. Eua luctum,
Vitae fructum
Virgo gaudens edidit,
Nec sigillum
Propter illum
Castitatis perdidit.
4. Si crystallus sit humecta
Atque soli sit obiecta,
Scintillat igniculum:
Nec crystallus rumpitur,
Nec in partu soluitur
Pudoris signaculum.
5. Super tali genitura
Stupet usus et natura,
Deficitque ratio:
Res est ineffabilis
Tam pia, tam humilis
Christi generatio.
6. Frondem, florem, nucem sicca
Virga profert, et pudica
Virgo Dei Filium.
Fert coelestem uellus rorem,
Creatura Creatorem,
Creaturae pretium.
7. Frondis, floris, nucis, roris
Pietati Saluatoris
Congruunt mysteria.
Frons est Christus protegendo,
Flos dulcore, nux pascendo,
Ros coelesti gratia.
8. Cur, quod uirgo peperit,
Est Iudaeis scandalum,
Cum uirga produxerit
Sicca sic amygdalum?
9. Contemplemur adhuc nucem:
Nam prolata nux in lucem
Lucis est mysterium.
Trinam gerens unionem,
Tria confert: unctionem,
Lumen et edulium.

10. Nux est Christus, cortex nucis
Circa carnem poena crucis,
Testa corpus osseum;
Carne tecta Deitas
Et Christi suavitas
Signatur per nucleum.
11. Lux est caecis, et unguentum
Christus aegris, et fomentum
Piis animalibus.
O quam dulce sacramentum!
Foenum carnis in frumentum
Conuertit fidelibus.
12. Quos sub umbra sacramenti,
Iesu, pascis in praesenti,
Tuo uultu satia.
Splendor Patri coaeterne,
Nos hinc transfer ad paternae
Claritatis gaudia

Edice: F. Wellner, A. v. Sankt Viktor, Sämtliche Sequenzen, lateinisch und deutsch, 1937, druhé vyd. 1955

Adam od sv. Viktora, *Salve mater Salvatoris*

Salve, Mater Salvatoris,
Vas electum, vas honoris,
Vas coelestis gratiae.

Ab aeterno vas provisum,
Vas insigne, vas excisum
Manu Sapientiae.

Salve Verbi sacra Parens,
Flos de spinis, spina carens,
Flos spineti gratia.

Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati,
Sed tu spinae nescia.

Porta clausa, fons hortorum,
Cella custos unguentorum,
Cella pigmentaria.

Cinnamomi calamum,
Myrrham, thus et balsamum
Superas fragrantia.

Salve, decus virginum,
Mediatrice hominum,
Salutis puerpera.

Myrtus temperantiae,
Rosa patientiae,
Nardus odorifera.

Tu convallis humilis,
Terra non arabilis,
Qua fructum parturiit.

Flos campi, convallium
Singulare lilium:
Christus ex te prodiit.

Tu coelestis paradus,
Libanusque non incisus,
Vaporans dulcedinem.

Tu candoris et decoris,
Tu dulcoris et odoris
Habes plenitudinem.

Tu thronus es Solomonis,
Cui nullus par in thronis,
Arte vel materia.

Ebur candens, castitatis,
Aurum fulvum, charitatis
Praesignant mysteria.

Palmam praefers singularem,
Nec in terris habes parem,
Nec in coeli curia.

Laus humani generis,
Virtutum prae caeteris
Habens privilegia.

Sol luna lucidior,
Et luna sideribus:
Sic Maria dignior
Creaturis omnibus.

Lux eclipsim nesciens
Virginis est castitas;
Ardor indeficiens,
Immortalis charitas.

Salve, mater pietatis
Et totius Trinitatis
Nobile triclinium.

Verbi tamen incarnati
Speciale majestati
Praeparans hospitium.

O Maria, stella maris,
Dignitate singularis,
Super omnes ordinis
Ordines coelestium.

In supremo sita poli,
Nos assigna tuae Proli,

Ne terrores, sive doli
Nos supplantent hostium.

In procinctu constituti,
Te tuente, simus tuti;
Pervicacis et versuti
Tuae cedat vis virtuti,
Dolus, providentiae.

Jesu, Verbum summi Patris,
Sera servos tuae Matris,
Solve reos, salva gratis,
Et nos tua claritatis
Configura gloriae.

Amen.

Edice: Lateinische Lyrik des Mittelalters, ed. Paul Klopsch

Adam a Sancto Victore, *Zyma vetus expurgetur*

1 **Zyma uetus expurgetur** (1Cor 5,7; Ex 13,7: Pamatujte na tento den, kdy jste vyšli Z Egypta.....Proto se nesmí jíst nic kvašeného.....Sedm dní bdeš jíst nekvašené chleby...Nespatří se u tebe nic kvašeného, na celém tvém území se u tebe nespatří žádný kvas...BUDEŠ DBÁT NA TOHO NAŘÍZENÍ VE STANOVENÝ ČAS ROK CO ROK...)

**Vt sincere celebretur
Noua resurrectio.
Haec est dies nostrae spei:
Huius mira vis diei
Legis testimonio.**

2 **Haec Aegyptum spoliavit** (Ex. 12,35:...”Izraelci jednali podle Mojžíšova rozkazu+ vyžádali si též od Egyptanů laté a stříbrné šperky a pláště....Tak vyplnili Egypt.”)

**Et Hebraeos liberavit
De fornace ferrea:** (Deut. 4,20: Mojžíš: “Ale vás Hospodin vzal a bvyvedl z tavicí pece, z Egypta, abyste byli jeho dědičným lidem...”)

**His in arcto constitutis
Opus erat seruitutis
Lutum, later, palea.** (Ex. 1,14: (Egyptané... “ztrpčovali jin život tvrdou otročinou při výrobě cihel a všelijakou prací na poli: ...*in amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti et lateris omnique famulatu, quo in terrae operibus premebantur*).

3 **Iam diuinae laus uirtutis,
Iam triumphi, iam salutis
Vox erumpet libera!
Haec est dies quam fecit Dominus** (Ps. 117,24: *Haec est dies quam fecit Dominus, exsultemus et laetemur in ea*)

**Die nostri doloris terminus,
Dies salutifera.**

4 **Lex est umbra futurorum** (Col. 2,17: *Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, aut in parte diei festi...aut neomemis, aut sabbatorum: quae sunt umbra futurorum*)

Christus finis promissorum,

Qui consummat omnia (Lc 18,31: - předpověď utrpení: Vzal k sobě svých Dvanáct a řekl jim: Hle, jdeme do Jeruzaléma a na Synu člověka *se naplní všechno*, co je psáno u proroků; *Assumpsit autem Jesus duodecim et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia, quae scripta sunt per peophetas de Filio hominis.* Cf. passim vč. výroku na kříži J 19,30.)

Christi sanguis igneam

Hebetavit romphaeam (rhomphea – řc.: dlouhý meč, event. kopí: Gn3,24: *ieicitque Adam, et collocavit ante paradisum voluptatis Cerubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitae.*)

Amota custodia.

- 5 **Puer nostri forma risus,**
Pro quo ueruex est occisus, (vervex se ve Vulg. nevyskytne!)
Vitae signat gaudium.
Ioseph exit de cisterna: (Gn 37,28)
Christus redit ad superna,
Post mortis supplicium.

- 6 **Hic dracones Pharaonis**
Draco uorat, a Draconis

Immunis malitia: (Ex. 7, 10-13.: Ingressi itaque Moyses et Aaron ad Pharaonem fecerunt sicut praeceperat Dominus, tulitque Aaron virgam coram pharaone et servis eius, quae versa est in colubrum... Vocavit autem pharao sapientes et maleficos...proieceruntque singuli virgas suas, quae versae sunt in dracones. Sed devoravit circa Aaron virgas eorum. Intudarumque est cor pharaonis, et non audivit eos, sicut praeceperat Dominus.)

Quos ignitus uulnerat, (Num.21,4-9: Et taedere ceopit populum itineris ec laboris, locutusque contra Deum et Moysen, ait: cur eduxisti nos de Aegypto, ut moreremur in solitudine? Deest panis, no sunt aquae; anima nostra nauseat super cibo isto levissimo. Quamobrem misit Dominus in populum ignitios serpentes, ad quorum plagas et mortes plurimorum veerunt ad Moysen atque dixerunt: Peccavimus, quia locuti sumus contra Dominum et te: ora, ut tollat a nobis serpentes. Oravitque Moyses pro populo, et locutus est Dominus ad eum: fac serpentem aeneum et pone rum pro digno. Qui percussus aspexerit eum, vivet.)

Hos serpentis liberat

Aenei praesentia.

- 7 Anguem forat in maxilla
Christus, hamus et armilla;
In cauernam reguli
Manum mittit ablactatus,
Et sic fugit exturbatus
Vetus hospes saeculi.
- 8 Irrisores Elisaei,
Dum conscendit domum Dei,
Zelum calui sentiunt:
Dauid arreptitius,
Hircus emissarius
Et passer effugiunt.

- 9 In maxilla mille sternit,
Et de tribu sua spernit
Samson matrimonium;
Samson Gazae seras pandit,
Et, asportans portas, scandit
Montis supercilium.
- 10 Sic de Iuda leo fortis,
Fractis portis dirae mortis,
Die surgens tertia,
Rugiente uoce patris,
Ad supernae sinum matris
Tot reuexit spolia.
- 11 Cetus Ionam fugituum,
Veri Ionae signatuum,
Post tres dies reddit uiuum
De uentris angustia.
Botrus Cypri reflorescit,
Dilatatur et excrescit;
Synagogae flos marcescit,
Et floret Ecclesia.
- 12 Mors et uita conflixere,
Resurrexit Christus uere,
Et cum Christo surrexere
Multi testes gloriae.
Mane nouum, mane laetum
Vespertinum tergat fletum;
Quia uita uicit letum,
Tempus est letitiae.
- 13 Iesu uictor, Iesu uita,
Iesu uitae uia trita,
Cuius morte mors sopita,
Ad paschalem nos inuita
Mensam cum fiducia.
Viue panis, uiuax unda,
Vera uitis et fecunda,
Tu nos pasce, tu nos munda,
Vt a morte nos secunda
Tua saluet gratia.

Text podle Poetria Nova

Henricus Septimellensis, *De diversitate Fortunae et de philosophiae consolatione*

I, 1-10

Quomodo sola sedet probitas? flet, et ingemit
Facta velut vidua, quae prius uxor erat.
Cui de te, fortuna, querar? cui? Nescio. Quare
Perfida me cogis turpia probra pati?
Gentibus opprobrium sum, crebraque fabula vulgi. 5

Dedecus agnoscit tota platea meum.
Me digito monstrant. Subsannant dentibus omnes.
Ut monstrum monstror dedecorosus ego.
Mordeor opprobriis. De me mala cantica cantat
Vulgus, et horrendus sum sibi ipsi...

III, 1-54

Cum mea lamentans elegiaca facta referrem,
Et cum Fortunae verba inimica darem,
Ecce nitens proba, quae salomonior est Salomone,
Ante meum mater lumen amoena stetit.
5 Quam facies elevat, variat quam forma vicissim,
Nunc coelum, nunc plus, nunc capit illa solum.
Hanc phrenesin dictam septena cohors comitatur,
Praebuit officium cuilibet illa suum.
Prima fovet pueros, alia silogizat; amoenat
10 tertia colloquiis; perticat illa solum;
Haec abacum monstrat; alia philomenat, et altum
Erigit ad superos septima virgo caput.
His praedicta dea sedit comitata deabus,
, quasi compatiens jus patientis, ait:
15 Quae lethaea tuus potavit pocula sensus?
Quo tua dormitat mens peregrina loco?
Certe caecus es, et tua mens exorbitat idem.
Tantillum nescis, quod schola docta dedit?
Heu, quantum pateris. De sola mente dolesco,
20 quod tuus hoc peregre tempore sensus abit.
Si foret hic Hypocras et tota medela Salerni,
morbida non vel sic mens tua sana foret.
Nam nequit antiquum medicina repellere morbum,
Quodque diu crevit durat in esse diu.
25 Heu doleo super hoc, quod mentem perdis, et omni
Brutescis sensu, bestia factus homo.
Quid tibi cum lacrymis? Lacrymarum copia nullum
Participem voti debilis esse facit.
Qui gemit ingeminat sua damna; dolore dolorem
30 Ampliat, et duplici funere vivus obit.
Quid tibi et injustae fortunae? multaque semper
Passus es opprobrii vincula propter eam.
Vis ipsam non esse vagam? Natura repugnat.
Quae dedit instabilem semper et esse vagam
35 Seminatur in spinis naturae jura retractans.
Garrula divelli rana palude nequit.
Qui cupit auferre naturam seminat herbam,
Cujus in Arturi tempore fructus erit.
Te nimis aura rotat, nimiumque moveris amaris,
40 Et nimium stolidum te facit esse dolor.
Non hominem redolens hominis denigrat honorem,
Qui nequit adversis prospera juncta pati.
Utitur ignare dulci, non usus amaro;

Namque per oppositum noscitur omne bonum.
 45 Disce gravanda pati. Patientia temperat iram.
 Et diros animos mentis oliva domat.
 Nonne recordaris veluti stimulante tyranno
 Moriger innocua Seneca morte perit?
 Nonne meus Severinus inani jure peremptus
 50 Carcere Papiæ non patienda tulit?
 Nonne cupidineus metrosus Naso magister
 Expulsus patria pauper et exsul obit?
 Quid referam multos, quorum sine crimine vita
 Verbera fortunæ non patienda tulit?

Ysengrimus 1-34

Egrediens silua mane Ysengrimus, ut escam
 Ieiunis natis quereret atque sibi,
 Cernit ab obliquo Reinardum currere uulpem,
 Qui simili studio ductus agebat iter,
 5 Preuisusque lupo non uiderat ante uidentem,
 Quam nimis admoto perdidit hoste fugam.
 Ille, ubi cassa fuga est, ruit in discrimina casus,
 Nil melius credens quam simulare fidem,
 Iamque salutator ueluti spontaneus infit:
 10 "Contingat patruo preda cupita meo!"
 (Dicebat patruum falso Reinardus, ut ille
 Tamquam cognato crederet usque suo.)
 "Contigit," Ysengrimus ait, "letare petisse,
 Opportuna tuas obtulit hora preces.
 15 Vt quesita michi contingat preda, petisti;
 Contigit; in predam te exigo, tuque daris.
 Difficilis semper non est deus equa petenti;
 Te petere attendens equa, repente dedit.
 Te michi non potuit contingere gratior hospes;
 20 Non me hodie primum perfida uidit auis.
 Vnde uenis, uesane Satan? non curo rogare,
 Quo tendas, ego te longius ire ueto.
 Si quid adhuc exinde tibi procedere restat,
 Huc tantum in fauces progrediere meas.
 25 Hinc uideo duplicem nobis consurgere fructum:
 Scilicet hec stomacho proderit esca meo -
 Phisicaque Obitio non hec michi lecta magistro est,
 Dentibus inscripta est atque legenda meis -
 Cumque Camena mee te totum sepserit alui,
 30 Nec uia longa tibi est nec metuenda breuis.
 Condoleo, quia sepe pedes lassaris eundo;
 Sis faciam miles, nec grauia arma time.
 Efficiaris eques, sed non oneraberis armis,
 Incumbet collo sarcina tota meo.

Mathæus Vindocinensis, *Ars versificatoria*, 106-108

106. ²⁰Sequitur de tempore. Est autem argumentum a tempore, quando ex opportunitate temporis aliquid conjecturaliter de negotio improbatur vel probatur. Ut apud Virgilium in Bucolicis :

[III, 57] Omnia nunc florent, nunc formosissimus annus.

107. Similiter poterit poni familiare exemplum, ut quatuor tempora anni sub castigato breviluquo describantur hoc modo :

Descriptio quatuor temporum anni.

Ver roseum tenero lascivit flore, laborat
Picturare Ream floridiore coma²¹.
Solis amica calet aestas aestuque redundans
Nititur in tempus²² nominis esse sui.
5 Vinitor autumnus, Bachi pincerna, propinat
Uvae delicias, horrea messe replet.
Horret hiems triplici panno pallita²³, noverca
Florum, lascivi pectoris aegra comes.

108. *Epitheta quatuor temporum anni, causa compendii, sic describantur.*

Sunt partes anni bis binae : ver tepet, aestas
Aestuat, autumnus vina dat, alget hiems.

Vel sic:

Vel florum genitor, aestas nutricula fructus,
Vinitor autumnus, prodiga venit²⁴ hiems.
Lucifer astra fugit²⁵, solis praecursor ad ortum,
Respirat melior exule nocte dies.
5 Legat in exilium tenebras Aurora, cubile
Tythanis viduans purpurat ora Jovis.
Hirsuto comitata gelu lux serpit et ortus
Tempora canities anticipare studet²⁶.
Uberius radios Phebus dispensat, anhelant
10 Quadrupedes cursu dimidiare²⁷ diem.
Migrat ad antipodes Phebi²⁸ declivior axis,

²⁰ *Rubrique* : De tempore.

²¹ *Vel* solum nobiliore toga.

²² *Corr.* interpres (*Troyes*).

²³ *Vel* pannita *vel* pellita.

²⁴ *Corr.* vestis (*Troyes*).

²⁵ *Vel* fugat (*à adopter*).

²⁶ *Vel* stupet.

²⁷ *Vel* dimidiante.

Vergit ad occasum languidiore rota.

Matthaeus Vindocinensis, *Pyramus et Thisbe*

Est amor amoris species et causa cruoris,
Dum trahit insanus in sua fata manus.
Pyramus et Tisbe duo sunt nec sunt duo, iungit
Ambos unus amor nec sinit esse duos.
5 Sunt duo nec duo sunt, quia mens est una duorum,
Vna fides, unus spiritus, unus amor.
Esse duos prohibet amor unicus, una uoluptas
Et probat alteritas corporis esse duos.
Sunt duo, sunt unum, sic sunt duo corpore, mente
10 Vnum sicque duos unicus unit amor.
Mente pares, par forma beat, par gracia morum,
Par generis titulus, par pietatis honor.
Sunt similes facies, solus dissimilis sexus
Audet eos reliquis dispariare pares.
15 Pyramus est preclarus auis, presignis honestis
Moribus atque puer nil puerile sapit,
Prouecte non mentis eget proueccio sensus,
Miratur teneras degenerare dies,
Non fastus uicium mores predatur honestos.
20 Tot bona nequicie non premit ulla lues.
Est titulo morum Tisbe preclara, benigna
Alloquio, uultu florida, diues auis,
Nature fragilis impugnat crimina sexus;
Femina femineum degenerare facit.
25 Pronior in Venerem puericia labitur annis;
Ius habet inuitus imperialis amor.
Hec iuuenem recolit, amat hunc et amatur et una
Mens, uirtus fecit durius esse malum.
Est Tisbe minus hoc solo perfecta sed euo,
30 Sed specie iuuenis esse coacta potest.
Causa fuere mali lasciuiam, uictus, amice
Colloquium mentis contiguaeque domus.
Irritatur amor, sic maior causa furoris,
Verbis nec rebus compatiante loco.
35 Crescit amor nec amor, ymmo furor, ymmo furorem
Excedit rabies non habitura modum.
Cui paries perfissus erat; sintillula rime
Blandos permittit ire, redire sonos
Ad uotum pia rima facit, largitur amoris
40 Blandicias, risus, murmura uocis iter.
Verba ferunt, effectus abest; si uerba sequatur
Res, fiet felix copula iustus amor;
Lege thori cupiunt iungi, sed dura parentum
Cura uetat fieri, quod uoluere duo;

²⁸ *Vel Phebus.*

45 Quod potuere uetare, uetant; ignara uetari
 Vtitur arbitrio liberiore Venus,
 Augmentatur amor uetitus nescitque teneri
 Et uetitas gaudet amplificare uias.
 Lux coniungit eos, nox separat, unio mentis
 50 Diuersi spacio temporis una manet.
 Corpora, non animum nox noxia separat, instat
 Presentans, quod abest inuiolatus amor.
 Piramus augmentat Tisbes incendia, nocte
 Absentem puerum sedula uirgo uidet,
 55 Nocte uidet, quod abest, quod abest presentat amanti
 Et uidet in tenebris queque remota Venus.
 Nocte decus iuuenis recolit: pia uerba, iuuenta
 Florem, cesarie<m>, colla, labella, genas.
 Que memorat bona queque nocent, dum queque recurrit
 60 Anxietas geminat congeminata malum.
 Non minus excruciat iuuenem prestancia Tisbes:
 Os roseum, rixus gracia, frontis honor,
 Dum recolit Tisbes rixus, decus oris, ocelli
 Delicias, crines, colla. Perire potest
 65 Ignis, uterque perit, sic flamma leditur, urit,
 Vritur, optatur, optat, amatur, amat,
 Pensatur rabies rabie, par anxietate
 Anxietas, ignis igne, furore furor.
 Mane petit rimam, uoto solacia, uerbis
 70 Pretendunt, rime basia blanda premunt,
 Hinc iuuat, inde nocet, nocet irritando furorem,
 Sed iuuat alloquium suscipiendo pium.
 Nox ingrata uenit, periussa licencia uocis
 Permittens risus, murmura, rima rimat,
 75 Da<m>pnat uota locus, qui prestat murmura uocis,
 Denigrat paries diminuitque bonum;
 Ingenium male sollicitant rebusque sinistris
 Plenius anxietas ingeniosa sapit.
 Se dolus egroto medicum pretendit amori,
 80 Auxilium fraudis postulat egra Venus
 Et Veneri fraudis succurrit macina molis,
 Euolat ad latebras ingeniosa Venus,
 Vt rebus miseris intersit gracia; nocte
 Custodes statuunt anticipare suos,
 85 Constituunt loca certa sibi, ne noctis euntes
 Nubila perturbent multiplicesque uie.
 Eligitur Nini tumulus, quem morus obumbrat
 Ardua, poma gerit candida, fronde uiret.
 Alter ut alterius gressus expectet, amantes
 90 Prestituunt placido murmure, pacta place<n>t.
 Nec Veneri parere parant hac fraude mederi.
 Hac properant uotis calliditate frui.
 Tisbe prima suos custodes fallit et exit
 Et tumulum pacta condicione petit,

95 Incomitata gradum carpit, gradientis amicum
 Comodat in passus luna secreta iubar.
 Prima uenit nec nocte timet fraudemque fidelis,
 Femina feminea deposuisse potest.
 Resplendens splendore uitro fecundia riui
 100 Graminea tenui murmure serpit humo;
 Vnguibus armatus uenit hic fera pessima uultu
 Torua, cruenta, boum sanguinis plena nimis.
 Ex facili mulier timet occursusque ferinos,
 Deuitat fouee proximitate fruens.
 105 Nox, lea uisa, comes absens, mala queque minantur,
 Virgineos triplicant hec tria iuncta metus.
 Accelerat, uenit, accedit fera pessima, riui
 Inpuro purum polluit ore decus,
 Dum reuocat saciata pedem, uelamina Tisbes
 110 Inuenit, asspergit sanguine, sternit humi.
 Serior egreditur, custodes fallit amicus,
 Passu nocturnum Piramus haurit iter,
 Accelerat tumulumque petit, festinus hanelat,
 Virgineosque putat accelerare gradus.
 115 Dum loca pacta petit iuuenis, uestigia sculpta
 Puluere precedunt significata fere;
 Procedit, Tisbes uidet uelamina sparsa
 Sanguine, miratur et notat ora timor.
 Queque metus metuenda canit, peiora minatur
 120 Et malus in dubiis esse solet propheta:
 Coniectura metus, mala peior pessima, spondet
 Illas uirginei sanguinis esse notas.
 Tisbes - nec Tisben - cernens uelamina crebros
 Irruit in fletus, unguibus ora secat.
 125 Credulitas festina nocet, consuevit habere
 Effectus fragiles inpetuosa manus.
 Dum nescit uiuam, que uiuit, fallitur, una,
 In sua fata reas audet habere manus;
 Quem tulerat, uite penitralibus ingerit ensem
 130 Nec dubitat uite prodigus esse sue;
 Sanguinis unda uolat alternatoque colore
 Primitus alba facit poma rubere rubor.
 Ex caueis gressum maturat uirgo timore
 Optato iuue ne commemorare parat.
 135 Quem querit, reperit, uidet et uidisse cruentum
 Mesta dolet, subitus occupat ora tremor,
 Expulsus subito color est pallore, ruborem
 Legat in exilium uultus, in ore timor,
 Dat gemitus, secat ungue genas iuuenisque uigorem
 140 Vt redimat, morti succubuisse iurat.
 Ignorat, que causa mali, uultumque labellum
 Percurrens crebris uultibus ora rigat.
 Vt polluta uidet sua tegmina sanguine, sensit
 Se iuueni causas attribuisse necis,

145 Visa ueste malum geminatur, femina tota
 Defluit in lacrimas, non dolet, ymmo furit,
 Dampno dampna parat sectari, uulnere uulnus,
 Mortem morte, manu mortificare manum.
 Rore sinum replet, gemitu loca, "Pirame" clamat
 150 Singultu uoces impediendo suas.
 Restat adhuc iuueni uite sintullula, tollit
 Mortis ab articulo numina fidus amans,
 Vite reliquias iuuenis producit, amatam
 Vt uideat, uisa uirgine uita fugit.
 155 Visa morte dolet uirgo, lacrimatur et ipsa
 Viure turpe putat, mors fugienda placet;
 Ensem mesta capit et iam moritura resoluit
 Sic in uotiuas ultima uerba preces:
 Quos mortis sociat modus unicus, unica causa,
 160 Clades una, locus unicus, una dies,
 Non disiungat eos tumulus, non audeat ulla,
 Quos mors consociat, dissociare manus."
 Sic loquitur gladioque dolens incumbit et ansa
 Presumit dominam mortificare manus,
 165 Iacturam geminans compensat funere funus,
 Equatur pestis peste, cruore cruor.
 Non fuit hec frustra uotiuua peticio Tisbes
 Effectusque suos optinuere preces.
 Sic uita sic morte pares capiunt rogos, urna:
 170 Vrna capit cineres reliquiasque rogos.
 Iam dictos elegos dictans elegia fleuit
 Fletu flebilius compaciente loco,
 Flendo legat lector; lacrimas lacrimabile, triste
 Tristiciam, fletum flebile poscit opus.

Gualterus de Castellione, *Carmina*

16.

1. Orba suo pontifice
 Tristatur Cantuaria.
 O monstrum gentis Anglice
 Scribendum in hystoria,
 Quod stantem pro iusticia,
 Quod uiuentem canonice
 Martyrizauit publice
 Tyranni uiolentia!
 O regio
 Digna res epithaphio!
2. Hec leuis excusatio,
 Quam pretendit ad populum:
 "Dum osculum refugio,
 Quod pacis est signaculum,
 Proditionis iaculum

Nequaquam," inquit, "iacio",
Ac si non sit proditio,
Quod non precessit osculum!
O regio
Digna res epithaphio!

3. quanto dignus fulmine
Vel qua Megera creditur!
Infausto natus omine,
Cui scelus hoc obicitur,
Rex abusiue dicitur,
Qui totus est in sanguine,
Sic emutato nomine
Rex in tyrannum uertitur.
O regio
Digna res epithaphio!

4. In tota regum serie,
Quos habuit Britannia
Ab antiqua barbarie,
Que processit a Frigia,
Pollutus hac infamia
Numquam fuit rex Anglie,
In isto tribus regie
Degloriauit gloria.
O regio
Digna res epithaphio!

5. Vittas imbelles gerere
Licebat priscis uatibus
Et bellis non intendere,
Sacris sacros usibus;
Sed nunc moris est regibus
In pace pacem soluere
Et suis pontificibus
Parcarum fila rumpere.
O regio
Digna res epithaphio!

**Gualterus de Castellione, *Versa est in luctum cithara Waltheri*
(*Carmina Burana* 123)**

1. Versa est in luctum
cithara Waltheri,
non quia se ductum
extra gregem cleri
vel eiectum doleat
vel abiecti lugeat
vilitatem morbi,
sed quia considerat,
quod finis accelerat
improvisus orbi.
Refl.

Libet intueri
iudices ecclesie,
quorum status hodie
peior est quam heri.

2. Umbra cum videmus
valles operiri,
proximo debemus
noctem experiri;
sed cum montes videris
et colles cum ceteris
rebus obscurari,
nec fallis nec falleris,
si mundo tunc asseris
noctem dominari.

Refl.

Libet intueri
iudices ecclesie,
quorum status hodie
peior est quam heri.

3. Per convalles nota
laicos exleges,
notos turpi nota
principes et reges,
quos pari iudicio
luxus et ambitio
quasi nox obscurat,
quos celestis ultio
bisacuto gladio
perdere maturat.

Refl.

Libet intueri
iudices ecclesie,
quorum status hodie
peior est quam heri.

4. Restat, ut per montes
figurate notes
scripturarum fontes,
Christi sacerdotes;
colles dicti mystice,
eo quod in vertice
Sion constituti
mundo sunt pro speculo,
si legis oraculo
vellent non abuti.

Refl.

Libet intueri
iudices ecclesie,
quorum status hodie
peior est quam heri.

5. Iubent nostri colles
dari cunctis fenum
et preferri molles
sanctitati senum;
fit hereditarium
Dei sanctuarium,
et ad Christi dotes
preponuntur hodie
expertes scientie
presulum nepotes.

Refl.

Si rem bene notes,
succedunt in vitium
et in beneficium
terreni nepotes.

6. Veniat in brevi,
Iesu, bene Deus,
finis huius evi
annus iubileus!
moriar, ne videam
Antichristi frameam,
cuius precessores
iam non sani dogmatis
stant in Monte Chrismatis
censuum censores!

Refl.

Si rem bene notes,
succedunt in vitium
et in beneficium
terreni nepotes.

*Edice: Carmina Burana. 1,1 Die moralisch-satirischen Dichtungen. Ed. W. Meyer, A Hilka, O. Schumann.
Heidelberg 1930*

Gualterus de Castellione, *Missus sum in vineam*

Missus sum in vineam circa horam nonam,
suam quisque nititur vendere personam;
ergo quia cursitant omnes ad coronam:
semper ego auditor tantum, nunquamne reponam?

Rithmis dum lascivio, versus dum propino,
rodit forsitan aliquis dente me canino,
quia nec afflatus sum pneumate divino
neque labra prolui fonte caballino.

Licet autem proferam verba parum culta
et a mente prodeant satis inconsulta,
licet enigmatica non sint vel occulta,
est quodam prodire tenus, si non datur ultra.

Cur sequi vestigia veterum refutem,
adipisci rimulis corporis salutem,

impleri divitiis et curare cutem?
 quod decuit magnos, cur michi turpe putem?

Qui virtutes appetit, labitur in imum,
 querens sapientiam irruit in limum;
 imitemur igitur hec dicentem mimum:
 o cives, cives, querenda pecunia primum.

Hec est, que in sinodis confidendo tonat,
 in electionibus prima grande sonat;
 intronizat presules, dites impersonat:
 et genus et formam regina pecunia donat.

Adora pecuniam, qui deos adoras:
 cur struis armaria, cur libros honoras?
 longas fac Parisius vel Athenis moras:
 si nichil attuleris, ibis, Homere, foras.

Disputet philosophus vacuo cratere,
 sciat, quia minus est scire quam habere;
 nam si pauper fueris, foras expellere,
 ipse licet venias musis comitatus, Homere.

Sciat artes aliquis, sit auctorum plenus,
 quid prodest si vixerit pauper et egenus?
 illinc cogit nuditas vacuumque penus,
 hinc usura vorax avidumque in tempore fenus.

Si Ioseph in vinculis Christum prefiguratur,
 si tot plagis Pharao durum cor indurat,
 si filiis Israel exitus obturat:
 quid valet hec genesis, si paupertas iecur uratur?

Quid ad rem, si populus sitit ante flumen,
 si montis ascenderit Moyses cacumen
 et si archam federis obumbravit numen?
 malo saginatas carnes quam triste legumen.

Illud est, cur odiens studium repellam
 paupertatem fugiens vitamque misellam;
 quis ferret vigilias frigidamque cellam?
 tutius est iacuisse thoro, tenuisse puellam.

Quidam de scientia tantum gloriantur
 et de pede Socratis semper cornicantur
 et dicunt, quod opes his qui philosophantur
 non bene conveniunt nec in una sede morantur.

Idcirco divitias forsitan non amatis,
 ut eternam postmodum vitam capiatis.
 heu mentes perditae! numquid ignoratis,
 quod semper multum nocuit differre paratis?

Si pauper Diogenes fuit huius sortis,
 si Socrates legitur sic fuisse fortis,

Iuvenalis extitit magister cohortis
 marmoreisque satur iacuit Lucanus in hortis.
 Heu quid confert pauperi nobilis propago?
 quid Tityrus patula recubans sub fago?
 ego magis approbo rem de qua nunc ago;
 nam sine divitiis vita est quasi mortis imago.
 Semper habet comitem paupertas merorem,
 perdit fructum Veneris et amoris florem,
 quia iuxta nobilem versificatorem
 non habet unde suum paupertas pascat amorem.
 Adde quod superbia sequitur doctores:
 inflati scientia respuunt minores;
 ergo sic impletum est quod dicunt auctores:
 inquinat egregios adiuncta superbia mores.
 Sit pauper de nobili genere gigantum,
 sciat quantum currat sol et Saturnus quantum,
 per se solus habeat totum fame cantum:
 gloria quantalibet quid erit si gloria tantum?
 Audi, qui de Socrate disputas et scribis:
 miser, vaca potius potibus et cibis;
 quod si dives fieri noles vel nequibis,
 inter utrumque tene, medio tutissimus ibis.

Edice: Moralisch-satirische Gedichte Walters von Châtillon, ed. K. Strecker, Heidelberg 1929.

Gualterus de Castellione, *Alexandreis I, 1-43*

Gesta ducis Macedum, totum digesta per orbem
 Quam large dispersit opes, quo milite Porum
 Vicerit et Darium, quo principe Graecia victrix
 Risit, et a Persis rediere tributa Corinthum,
 Musa refer: qui si senio non fractus inermi
 Pollice fatorum, nostros vixisset in annos,
 Caesareos nunquam loqueretur fama triumphos,
 Totaque Romuleae squaleret gloria gentis,
 Praeradiaret enim meriti fulgore caminus
 Igniculis, solisque sui palleret in ortu
 Lucifer, et tardi languerent plaustra Bootae.
 At tu cui major genuisse Britannia reges
 Gaudet avos, Senonum quo praesule non minor urbi
 Nupsit honor, quam cum Romam Senonensibus armis
 Fregit, adepturus Tarpeiam Brennius arcem,
 Si non exciret vigiles argenteus anser,
 Quo tandem regimen cathedrae Rhemensis adepto
 Duritiae nomen amisit bellica tellus,
 Quem partu effusum gremio suscepit alendum
 Philosophia suo, totumque Helicon propinans,
 Doctrinae sacram patefecit pectoris aulam,
 Excoctumque diu studii fornace, fugata

Rerum nube, dedit causas penetrare latentes,
 Huc ades, et mecum pelago decurre patenti,
 Funde sacros fontes, et crinibus imprime laurum,
 Ascribique tibi nostram patiare camoenam.
 Nondum prodierat naturae plena tenellis
 Infruticans lanugo pilis, matrique parabat
 Dissimiles proferre genas, cum pectore toto
 Arma puer sitiens, Darium dare jura Pelasgis
 Urbibus, imperiique jugo Patris arva prementem
 Audit, et indignans, his vocibus exprimit iram:
 Heu quam longa quies pueris! nunquamne licebit
 Inter funereas acies mucrone corusco
 Persarum damnare jugum, profugique tyranni
 Cornipedem lentum celeri praevertere cursu,
 Confusos turbare duces, puerumque leonis
 Vexillo insignem, galeato vertice saltem
 In bello simulare virum verumne dracones
 Alciden puerum comprehensis faucibus olim
 In cunis domuisse duos? ergo nisi magni
 Nomen Aristotelis pueriles terreat annos,
 Haud dubitem similes ordiri fortiter actus.

Alanus ab Insulis, *Anticlaudianus*

Prologus [1-9]

Autoris mendico stilum falerasque poete,
 Ne mea segnicie Clio directa senescat,
 Ne iaceat calamus scabra rubigine torpens.
 Scribendi nouitate uetus iuuenescere carta
 Gaudet, et antiquas cupiens exire latebras
 Ridet, et in tenui lasciuit harundine musa.
 Fonte tuo sic, Phebe, tuum perfunde poetam,
 Vt compluta tuo mens arida flumine, germen
 Donet, et in fructus concludat germinis usum.

Kniha 9. [410-426] – poslední verše eposu

O mihi continuo multo sudata labore
 Pagina, cuius ad hoc minuit detractio famam,
 Viue, nec antiquos temptes equare poetas,
 Sed pocius ueterum uestigia semper adorans
 Subsequere et lauris humiles submitte miricas.
 Jam ratis, euadens Scillam monstrumque Caribdis,
 Ad portum tranquilla meat, jam littore gaudet
 Nauita, iam metam cursor tenet, anchora portum.
 Nauta tamen tremebundus adhuc post equoris estum
 Terrenos timet insultus, ne tutus in undis
 Naufragus in terra pereat, ne liuor in illum
 Seuiat aut morsus detractio figat in illo
 Qui iam scribendi studium pondusque laboris

Exhausit, proprio concludens fine laborem.
Si tamen ad presens fundit sua murmura liuor,
Et famam delere cupit laudesque poete
Supplantare nouas, saltem post fata silebit.

Edice: Alain de Lille, Anticlaudianus. Ed. R. Bossuat. Paris 1955, s. 57, 197-198.

Alanus ab Insulis, *De planctu naturae*

1.

In lacrymas risus, in fletum gaudia uerto:
 In plantum plausus, in lacrymosa iocos,
Cum sua naturam uideo secreta silere,
 Cum Veneris monstro naufraga turba perit.
5 Cum Venus in Venerem pugnans, illos facit illas:
 Cumque suos magica deuirat arte uiros.
Non fraus tristitiam, non fraudes fletus adulter
 Non dolus, imo dolor parturit, imo parit.
Musa rogat, dolor ipse iubet, natura precatur,
10 Vt donem flendo, flebile carmen eis.
Heu! quo naturae secessit gratia? morum
 Forma, pudicitiae norma, pudoris amor!
Flet natura, silent mores, proscribitur omnis
 Orphanus a ueteri nobilitate pudor.
15 Actiui generis sexus, se turpiter horret
 Sic in passium degenerare genus.

...

Cum hanc elegiam lamentabili modulatione crebrius recenserem, mulier ab impassibilis mundi penitiori dilapsa palatio, ad me maturare videbatur accessum; cujus crinis non mendicata luce, sed propria scintillans, non similitudinarie radiorum repraesentans effigiem, sed eorum claritate nativa naturam praueinens, in stellare corpus caput effigiabat puellae; quod duplex tricatura diffibulans, superna non deserens, terrae non dedignabatur osculo arridere. Quoddam vero lilioli tramis spatium, sub obliquitate decussata, crinis dividebat litigium, nec illa unquam obliquitas vultui erat detrimento, sed praererat decori. Crinale vero aureum in legitimi ordinis choream crinis aurum concilians, vultum mirabatur inuenisse conformem. Phantasia enim coloris aurum consequentis, paralogismum visui concludebat. Frons vero in amplam evagata planitiem, lacteo liliata colore, lilio videbatur contendere.

Alanus ab Insulis, *Exceptivam actionem*

grammatica:

Exceptivam actionem
Verbum Patris excipit,
Dum deludit rationem,
Dum naturam decipit:
Casualem dictionem
Substantiuum recipit,
Actioque passionem
In hoc uerbo concipit.

In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

rhetorica:

Peregrinat a natura
Nominis positio
Cum in Dei transit iura
Hominis conditio.
Nouus tropus in figura,
Noua fit translatio,
Nouus color in iunctura,
Noua fit constructio.
In hac Verbi copula
Stupet omnis regula.

Alanus ab Insulis, *Liber parabolarum*

A Phoebus Phoebus lumen capit; a sapiente
 Insipiens sensum, quo quasi luce micat.
Nil aliud nisi se ualet ardens Aethna cremare;
 Sic se, non alios, inuidus igne coquit.
5 Sus de sorde leuat, saltem dum colligit escas,
 Cur nunquam surgit sorde uolutus homo?
Vtribus antiquis uinum committere noli,
 Nec senibus sensum quem retinere uelis.

Bernardus Morlanensis, *De contemptu mundi, 1*

Hora nouissima, tempora pessima sunt, uigilemus.
Ecce minaciter imminet arbiter ille supremus;
Imminet, imminet, ut mala terminet, aequa coronet;
Recta remuneret, anxia liberet, aethera donet;
5 Auferet aspera duraque pondera mentis onustae;
Sobria muniat, improba puniat, utraque iuste.
Ille piissimus, ille grauissimus ecce uenit rex;
Surgat homo reus, instar homo Deus, a Patre iudex.
Surgite, currite simplice tramite, quique potestis:
10 Rex uenit ocius, ipseque conscius, ipseque testis.
Dum licet impia, dum uacat omnia fluxa lauentur;
Detur egentibus, alta petentibus ima parentur.
Imminet arbiter, ille fideliter expositurus
Quae dabit aut dedit, ad bona lux redit, ad mala durus.

(z „Poetria“)

Disputacio vini et aque, Summa recreatorum, IV. traktát

Ego quondam spiritu vel in carne gravi
Raptus sum et tercium celum penetravi,
Ubi secretissima quedam obscultavi,
Que post in consilio fratrum revelavi.

Dum sederet siquidem in excelso deus
Et cepisset spiritus trepidare meus,
Statim in iudicium Thetis et Lieus
Intrant et alteruter actor est et reus.

Aqua

Thetis ab exordio multum gloriatur,
Ego sum cui merito laus et honor datur.
Cum sim ex quo machina mundi firmabatur,
Et super (me) spiritus domini ferebatur.

Vinum

Bachus ad hoc talia incipit referre,
Mos est prius vilia, cara post deferre.
Sic et deus voluit te prius offerre,
Et me post ut biberent potatores terre.

Aqua

Me vicis dulcissima Cristi ampliavit,
Quando me de puteo potum postulavit.
De torrente siquidem attestante davit,
Bibit et tunc proprium capud exaltavit.

Vinum

Uve nil aquaticum fuit intermixtum,
Cum in vite dominus fructum dedit istum.
Ergo qui potaverit vinum aqua mixtum,
Peccavit contra deum et adversus Cristum.

Aqua

Me contenta respuit Nazarenus vina,
Cum in me reposita sit vite medicina.
Quod ex ewangelica patet disciplina,
Dum sanaret angelus egros in piscina.

Vinum

Te quamvis aquaticus bibat Nazarenus,
Quantum salutifer sit effectus meus.
Patet dum Apostolus probavit, ymmo deus,
Qui me propter stomachum bibat Thymoteus.

Aqua

Cum tu semper causa sis intemperiei,
Ego sum opposita tue rabiei.
Namque sicut legitur aque, non Liei
Impetus letificat civitatem dei.

Vinum

Tu namque vilissima funderis in planum,
Ego vero loculum mittor in archanum.
Tu potas in montibus pecus rusticanum,
Sed noster letificat potus cor humanum.

Aqua

Fructum temperaneum reddit excolenti,

Lignum quod est proximum aque defluenti.
Par est bono nuncio longe venienti,
Potus aque frigide viro sicienti.

Vinum

Satis contemptibilis, satis est egena,
Si qua forte ducitur sine vino cena.
Non exterret homines paupertatis pena,
Cum me promptuaria sunt eorum plena.

Aqua

Primam ego fidei portam vendicavi,
Quando dei filium in Yordane lavi.
Et figuram veteris legis consumavi,
Cum de suo latere foras emanavi.

Vinum

Ad baptismi gratiam venit per te reus,
per me iustos homines iungit sic dominus.
Nec fuisse legitur aqua sed lieus,
De quo dixit dominus hic est sangwis meus.

Aqua

Ego pulchritudinis mater, claritatis
Mater sum et omnibus offero me gratis.
Ego pratis aufero pestem siccitatis,
Cum super intonuit deus maiestatis.

Vinum

Quantumcumque sapiens et quantumcumque carus,
Sine vini tramite cibus fit amarus.
Quo gaudet poculo pauper et avarus,
Sed calix inebrians o quam est preclarus.

Aqua

Ego flammam tempero solis, in pruinis
Potum do volucris, opus molendinis.
Et mundum circumeo fluctibus marinis,
Ubi sunt reptilia, quorum non est finis.

Vinum

Ego in palmitibus in torcula ivi
Et exinde hominis ventrem introivi.
Vasculorum genera multa pertransivi
Et in potatoribus requiem quesivi.

Aqua

Racio confunditur, oculi cecantur
Hiis, qui tuis potibus nimis inmorantur.
Blande dum ingrederis, potantes turbantur
Et, quod est deterius, mox inebriantur.

Vinum

Potus tuus pestifer est et venenatus,
Ni foret prophetico sale decoratus.

In me tuus pestifer potus est mutatus,
Cum fuit ad nupcias Cristus invitatus.

.....

Aqua
Dextro templi latere meus est egressus,
Per me culpa luitur, si est quis excessus.
Actus elemosine mystice concessus
Est mihi, quo criminum ignis est oppressus.

Vinum
Virtus ista siquidem in te figuratur,
Sed per me conpunctio cordis designatur,
Quo deus virgineus pudor germinatur,
Dum reus convertitur et iustificatur.

Aqua
Si quis falsos hactenus coluere deos,
Si renasci faciat se per fontes meos,
Rex in celo recipit absolvendo reos,
Nec qui in celis habitat irridebit eos.

Vinum
Viam celi dare est actuum meorum,
Nam non longe gratiam petas extrorum.
Per me tu intrabis atria celorum,
Ubi collocatae sunt anime iustorum.

Aqua
Hanc ad vocem civibus celi concitatis,
Quasi rationibus vini conprobatis,
Inclamatur forcius vocibus elatis,
Terre pax hominibus bone voluntatis.

Vinum
Quibus ego vocibus tale post examen
Excitatus expuli sompni velamen
Et laudavi concinnens patrem, natum, flamen
Usque ad in gloriam dei patris amen.

Edice: zatím nevydáno, text podle , rkp. NK Praha I E 22, f. 87v-88v

Petrus Alfonsi, *Disciplina clericalis*

V. Exemplum de homine et serpente.

Transiens quidam per silvam invenit serpentem a pastoribus extentum et stipitibus alligatum. Quem mox solutum calefacere curavit. Calefactus serpens circa fontem serpere coepit et tandem ligatum grave strinxit. Tunc homo: Quid, inquit, facis? Cur malum pro bono reddis? Naturam meam, dixit serpens, facio. Bonum, ait ille, tibi feci, et illud malo mihi solvis? Illis sic contententibus vocata est inter eos ad iudicium vulpis. Cui totum ut evenerat est monstratum ex ordine. Tunc vulpis: De hac causa iudicare per auditum ignoro, nisi qualiter inter vos primum fuerit ad oculum videro. Religatur iterum serpens ut prius. Modo, inquit

vulpis, o serpens, si potes evadere, discede! Et tu, o homo, de solvendo serpente noli laborare! Nonne legisti quod qui pendulum solverit, super illum ruina erit?

Dixit Arabs quidam filio suo: Si gravatus fueris aliquo modo et facile possis liberari, non expectes, quia dum expectabis liberari facilius, gravaberis amplius. Et ne tibi contingat quod contigit gibboso de versificatore. Et quomodo? filius inquit. Pater:

VI. Exemplum de versificatore et gibboso.

Quidam versificator versus faciens regi presentavit, et laudavit rex ingenium illius iussitque ut pro facto donum exposceret. Qui donum tale expostulat ut se ianitorem sue civitatis per mensem faceret, et ab omni gibboso denarium et a scabioso denarium et de monoculo denarium et de impetiginoso denarium et de hernioso haberet denarium. Quod rex concessit et sigillo roboravit. Qui ministerio suscepto porte assedit et ministerium suum egit. Quadam die gibbosus quidam bene cappatus cum baculo portam intravit. Cui versificator obvius denarium postulat. Qui denegat dare. Vim inferente versificatore, dum caputium de capite levat, gibbosum apprehendit monoculum esse: duos ergo denarios postulat, a quo prius unum expetiit. Noluit dare, retentus est. Non habens auxilium fugere voluit, sed per caputium retractus capite nudato apparuit scabiosus. Interrogat protinus ille tres denarios. Videns gibbosus neque fuga neque auxilio se posse defendi coepit resistere defendensque se nudatis brachiis apparuit habens in his impetiginem: quartum ergo denarium postulat. Cui defendenti cappam abstulit, et cadente illo in terram herniosum comperit: quintum ergo denarium ab eo extorsit. Sic contigit ut qui unum ultro dare noluit, quinque invitus dedit.

Dixit philosophus quidam filio suo: Fili, vide ne transeas per sedem gentis inique! Transitus namque causa fit status, et status causa sessionis, et sessio causa operis.

XXVI. De duobus fratribus regisque dispensa...

...De modo comedendi.

Filius: O pater, quare oblitus es dicere quomodo debet homo comedere coram rege? Pater: Non oblitus fui dicere, quia nulla differentia est inter comedere coram rege et alibi. Filius: Dic ergo quomodo ubique debeam comedere. Pater: Cum ablueris manus ut comedas, nichil tangas nisi prandium, donec comedas; nec comedas panem priusquam veniat aliud ferculum super mensam, ne dicaris impaciens; nec tantum ponas bolum in ore tuo, ut mices defluant hinc et inde, ne dicaris gluto; nec glucias bolum priusquam bene fuerit commasticatum in ore tuo, ne straguleris; nec pocula sumas donec sit os vacuum, ne dicaris vinosus; nec loquaris dum aliquid in ore tuo tenueris, ne aliquid intret de gutture in intimam arteriam et sic sit tibi causa mortis; et si videris bolum quod placeat tibi in parapside coram sodali, ne sumas, ne dicatur tibi prava rusticitas. Post prandium manus ablue, quia phisicum est et curiale; ob hoc enim multorum oculi deteriorantur, quoniam post prandia manibus non ablutis terguntur.

Filius: Si quis invitaverit me ad prandium, quomodo respondebo? Concedam statim an non? Pater: Fac sicut auctoritas Iudeorum precipit! Dicit enim: Si quis invitaverit te, videas personam invitantis. Si enim magna persona fuerit, statim concede; sin autem, secundum quod erit vel secunda vel tertia vice. Hoc eciam refertur de Abraham. Quadam enim die dum coram sua staret ianua, transeuntes sub humana specie vidit tres angelos. Quos ipse suam domum intrare honesto vultu rogavit, pedes lavare, ciborum refeccionem sumere, lassos artus sompno recreare. Ipsi vero, quoniam magna persona erat, concesserunt eius petitioni. Cum autem ad Loth venissent et iterum atque iterum rogarentur quod tectum eius subintrarent, quia autentica non erat persona, velut coacti annuerunt.

Iuvenis senem interrogavit: Cum invitatus fuero ad prandium, quid faciam? Parum vel nimis comedam? Cui senex: Nimis! Quoniam si amicus tuus fuerit qui te invitavit, multum gaudebit; si autem inimicus, dolebit. Hoc audito risit puer. Ad quem senex: Quid rides? Puer: Recordatus sum verbi quod audivi de Maimundo nigro. Quidam enim senex quaesivit ab eo, quantum posset comedere. Cui ipse: De cuius prandio, de meo vel de alterius? At ille: De tuo. Maimundus: Quanto minus possum. Senex: De alterius quantum? Maimundus: Quanto magis possum. Senex: Tu modo recordaris verborum cuiusdam gulosi, pigri, stulti, garruli et nugigeruli et quicquid tale de illo dicitur vel eo amplius in eo invenitur. Iuvenis: Multum placet michi de eo audire, quia quicquid de eo est, derisorium est; et si quid de eius dictis vel factis mente retines, eloquere, et habebō pro munere.

Edice: Acta Societatis Scientiarum Fennicae 38/4, edd. Alfons Hilka/Werner Söderhjelm, 1911

Otto z Freisingu, *Chronica sive Historia de duabus civitatibus, lib. 7, cap. XXVI.*

Eo tempore Conradus Maraviensis comes conspiratione cum Boemis facta ducatum terrae illius affectans de Maravia in Boemiam exercitum ducit. Cui cum dux Labezlaus cum copiis occurrere parat, a suis proditus fugae presidio vix periculum mortis evasit. Sicque profugus ad regem veniens casum suum deplorat. Quem rex misericordia motus cum exercitu in Boemiam reduxit ac pentecosten in urbe Braga provinciae illius metropoli celebrato, Conrado fugato, in ducatum restituit.

Non multo post Saxoniam ingressus data in uxorem vidua ducis Heinrici, Lotharii imperatoris filia, fratri suo Heinrico marchioni pacem cum Saxonibus fecit, eidemque marchioni Noricum ducatum, quem consilio matris ducis Heinrici filius iam abdicaverat, oncessit. Quae res in terra nostra maximae discordiae seminarium fuit. Guelfo enim princeps prefatum ducatum se iure hereditatis contigisse calumpnians armata manu in presentia ducis Baioariam ingreditur parteque provinciae vastata regreditur. Ob ea dux inflammatus in immenso coadunato milite fines nostros ingreditur, multisque ecclesiarum redditibus direptis tandem etiam ipsius nostrae civitatis munitiones propter quosdam ex ipsa, ut fautores Guelfonis dicebantur, destruxit. Cui dum Guelfo cum copiis occurreret, audito, quod rex superventurus erat, cessit. Porro dux simul cum rege castrum comitis Conradi, qui ex parte Guelfonis erat, obsidione clausit vastatisque in circuitu universis adiutorio regis ad editionem coegit ac igne succendit.

Edice: Ottonis episcopi Frisingensis Chronica sive Historia de duabus civitatibus. Ed. Adolfus Hofmeister. Hannoverae et Lipsiae 1912, s. 351-352.

Gotifredus Viterbiensis, *Gesta Friderici*

Regibus antiquis descripsimus omnia late,
 Tu minor etate, Friderice, prior probitate,
 Iam tua gesta patent, que recitare placet.
 Nam Fridericia tempora, prelia gestaque noui;
 5 Indeque maxima uel magis optima promere uoui,
 Que tulit aut mouit, queue recepit ob id.
 [Dum canimus magni regis, mea musa, cacumen,
 Sub breuitate suum studeamus tangere numen.
 Altius incipias; organa nostra tument.
 10 Nunc tibi lingua mea panget, Friderice, trofea,
 Acta gigantea canat omnis in orbe chorea.
 Tu quoque, musa mea, surge; canamus ea.
 Flos fuit ex flore regum Fridericus honore;
 Sumpsit eum regem Iermania plena fauore,
 15 Imperii dominum semper habere uolens.

Saxo Grammaticus, Gesta Danorum

1.1.1

[1] Dan igitur et Angul, a quibus Danorum coepit origo, patre Humblo procreati non solum conditores gentis nostrae, verum etiam rectores fuere. [2] Quamquam Dudo, rerum Aquitanicarum scriptor, Danos a Danais ortos nuncupatosque recenseat. [3] Hi licet faventibus patriae votis regni dominio potirentur rerumque summam ob egregia fortitudinis merita assentientibus civium suffragiis obtinerent, regii tamen nominis expertes degebant, cuius usum nulla tunc temporis apud nostros consuetudinum frequentabat auctoritas.

1.1.2

[1] Ex quibus Angul, a quo gentis Anglicae principia manasse memoriae proditum est, nomen suum provinciae, cui praeerat, aptandum curavit, levi monumenti genere perennem sui notitiam traditurus. [2] Cuius successores postmodum Britannia potiti priscum insulae nomen novo patriae suae vocabulo permutarunt. [3] Magni id factum a veteribus aestimatum. [4] Testis est Beda, non minima pars divini stili, qui in Anglia ortus sanctissimis suorum voluminum thesauris res patrias sociare curae habuit, aequae ad religionem pertinere iudicans patriae facta litteris illustrare et res divinas conscribere.

1.1.3

[1] Verum a Dan (ut fert antiquitas) regum nostrorum stemmata, ceu quodam derivata principio, splendido successionis ordine profluxerunt. [2] Huic filii Humblus et Lotherus fuere, ex Grytha summae inter Theutones dignitatis matrona suscepti.

Edice: Saxo Grammaticus, Gesta Danorum, ed. J. Olrik et H. Ræder, 1931

Hildegardis Bingensis, Scivias, lib. I, praef., visio 1

Lib. I, Praefatio

Ecce quadragesimo tertio temporalis cursus mei anno, cum coelesti visioni magno timore, tremula intentione inhaererem, vidi maximum splendorem, in quo facta est vox de coelo ad me dicens: O homo fragilis, et cinis cineris et putredo putredinis, dic et scribe quae vides et audis. Sed quia timida es ad loquendum, et simplex ad exponendum, et indocta ad scribendum ea, dic et scribe ea non secundum os hominis, nec secundum intellectum humanae adinventionis, nec secundum voluntatem humanae compositionis, sed secundum id quod ea in coelestibus desuper in mirabilibus Dei vides et audis; ea sic edisserendo proferens, quemadmodum et auditor verba praeceptoris sui percipiens, ea secundum tenorem locutionis illius, ipso volente, ostendente et praecipiente propalat. Sic ergo et tu, o homo, dic ea quae vides et audis: et scribe ea non secundum te, nec secundum alium hominem, sed secundum voluntatem scientis, videntis et disponentis omnia in secretis mysteriorum suorum. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Dic ergo mirabilia haec, et scribe ea hoc modo edocta, et dic. Actum est in millesimo centesimo quadragesimo primo Filii Dei Jesu Christi incarnationis anno, cum quadraginta duorum annorum septemque mensium essem, maximae coruscationis igneum lumen aperto coelo veniens, totum cerebrum meum transfudit, et totum cor totumque pectus meum velut flamma non tamen ardens, sed calens ita inflammavit, ut sol rem aliquam calefacit super quam radios suos immittit. Et repente intellectum expositionis librorum videlicet Psalterii, Evangeliorum et aliorum catholicorum tam Veteris quam Novi Testamenti voluminum sapiebam, non autem interpretationem verborum textus eorum,

nec divisionem syllabarum, nec cognitionem casuum aut temporum callebam. Virtutem autem mysteriorum, secretarum et admirandarum visionum a puellari aetate, scilicet a tempore illo cum quinquennis essem usque ad praesens tempus, mirabili modo in me senseram, sicut et adhuc: quod tamen nulli hominum exceptis quibusdam paucis et religiosis qui in eadem conversatione vivebant qua et ego eram, manifestavi, sed interim usque ad id temporis quo illud Deus sua gratia manifestari voluit, sub quieto silentio compressi. Visiones vero quas vidi: non eas in somnis, nec dormiens, nec in phrenesi, nec corporeis oculis aut auribus exterioris hominis, nec in abditis locis percepi, sed eas vigilans, circumspiciens in pura mente oculis et auribus interioris hominis, in apertis locis secundum voluntatem Dei accepi...

Sed ego, quamvis haec viderem et audirem, tamen propter dubietatem et malam opinionem, et propter diversitatem verborum hominum, tamdiu non in pertinacia, sed in humilitatis officio scribere recusavi, quousque in lectum aegritudinis, flagello Dei depressa caderem, ita quod tandem multis infirmitatibus compulsa: testimonio cujusdam nobilis et bonorum morum puellae et hominis illius quem occulte (ut praefatum est) quaesieram et inveneram, manus ad scribendum apposui. Quod dum facerem, altam profunditatem expositionis librorum, ut praedixi, sentiens, viribusque receptis de aegritudine me erigens: vix opus istud decem annis consumans ad finem perduxit. In diebus autem Henrici Moguntini archiepiscopi et Conradi Romanorum regis et Cunonis abbatis in monte Beati Disibodi pontificis, sub papa Eugenio, hae visiones et verba facta sunt. Et dixi et scripsi haec, non secundum adinventionem cordis mei aut ullius hominis, sed ut ea in coelestibus vidi, audivi et percepi per secreta mysteria Dei. Et iterum audivi vocem de coelo mihi dicentem: Clama ergo et scribe sic.

Lib. I, visio prima

Vidi quasi montem magnum, ferreum colorem habentem, et super ipsum quemdam tantae claritatis sedentem, ut claritas ipsius visum meum hebetaret, a quo ex utraque parte sui, lenis umbra velut ala mirae latitudinis et longitudinis porrigebatur. Et ante ipsum ad radicem ejusdem montis quaedam imago undique plena oculis stabat, cujus nullam humanam formam prae oculorum multitudine discernere valebam, et ante istam, imago alia puerilis aetatis, pallida veste, sed albis calceamentis induta, super cujus caput tanta claritas de eo qui super montem ipsum sedebat descendit, ut faciem ejus intueri non valerem, sed ab eodem qui super montem illum sedebat: multae viventes scintillae prodibant, quae easdem imagines magna suavitate circumvolabant. In ipso autem monte quasi plurimae fenestellae cernebantur, in quibus velut capita hominum, quaedam pallida et quaedam alba apparuerunt...

Unde etiam, ut vides, mons iste magnus ferreum colorem habens, designat fortitudinem et stabilitatem aeternitatis regni Dei; quae nullo impulsu labentis mutabilitatis potest exterminari, et super ipsum quidam tantae claritatis sedens, ut claritas ipsius visum tuum hebetaret: ostendit in regno beatitudinis, ipsum qui in fulgore indeficientis serenitatis toti orbi terrarum imperans superna divinitate, humanis mentibus incomprehensibilis est. Sed ab utraque parte sui lenis umbra velut ala mirae latitudinis et longitudinis extenditur: quod est et in admonitione et in castigatione beatae defensionis suavis et lenis protectio, ineffabilem justitiam in perseverantiam verae aequitatis juste et pie demonstrans...

Edice: Hildegardis Scivias, 2 vol. Ed. A. Führkötter/A. Carlevaris. Turnhout: Brepols 1978 (Corpus Christianorum, Continuatio Mediaevalis 43, 43 A.)

Abaelard, *Historia calamitatum*

QUOMODO IN AMOREM HELOYSE LAPSUS VULNUS INDE TAM MENTIS QUAM CORPORIS TRAXIT

Erat quippe in ipsa civitate Parisius adolescentula quedam nomine Heloysa, neptis canonici cuiusdam qui Fulbertus vocabatur, qui eam quanto amplius diligebat tanto diligentius in omnem qua poterat scientiam litterarum promoveri studuerat. Que cum per faciem non esset infima, per habundantiam litterarum erat suprema. Nam quo bonum hoc litteratorie scilicet scientie in mulieribus est rarius, eo amplius puellam commendabat et in toto regno nominatissimam fecerat. Hanc igitur, omnibus circumspectis que amantes allicere solent, commodiorem censi in amorem mihi copulare, et me id facillime credidi posse. Tanti quippe tunc nominis eram et iuventutis et forme gratia preminebam, ut quamcunque feminarum nostro dignarer amore nullam vererer repulsam. Tanto autem facilius hanc mihi puellam consensuram credidi, quanto amplius eam litterarum scientiam et habere et diligere noveram; nosque etiam absentes scriptis internuntiis invicem liceret presentare et pleraque audacius scribere quam colloqui, et sic semper iocundis interesse colloquiis.

In huius itaque adolescentule amorem totus inflamatus, occasionem quesivi qua eam mihi domestica et cotidiana conversatione familiarem efficerem et facilius ad consensum traherem. Quod quidem ut fieret, egi cum predicto puelle avunculo, quibusdam ipsius amicis intervenientibus, quatinus me in domum suam, que scolis nostris proxima erat, sub quocumque procurationis precio susciperet, hanc videlicet occasionem pretendens, quod studium nostrum domestica nostre familie cura plurimum prepediret, et impensa nimia nimium me gravaret. Erat autem cupidus ille valde atque erga neptim suam, ut amplius semper in doctrinam proficeret litteratoriam, plurimum studiosus. Quibus quidem duobus facile eius assensum assecutus sum et quod obtabam obtinui, cum ille videlicet et ad pecuniam totus inhiaret et neptim suam ex doctrina nostra aliquid percepturam crederet. Super quo vehementer me deprecatus, supra quam sperare presumerem votis meis accessit, et amori consuluit, eam videlicet totam nostro magisterio committens, ut quotiens mihi a scolis reverso vaccaret, tam in die quam in nocte ei docende operam darem, et eam si neglegentem sentirem vehementer constringerem. In qua re quidem, quanta eius simplicitas esset vehementer ammiratus, non minus apud me obstupui quam si agnam teneram famelico lupo committeret. Qui cum eam mihi non solum docendam, verum etiam vehementer constringendam traderet, quid aliud agebat /f.4rd/ quam ut votis meis licentiam penitus daret, et occasionem, etiam si nollemus, offerret, ut quam videlicet blanditiis non possem, minis et verberibus facilius flecterem. Sed duo erant que eum maxime a turpi suspitione revocabant, amor videlicet neptis, et continentie mee fama preterita.

Quid plura? Primum domo una coniungimur, postmodum animo. Sub occasione itaque discipline, amori penitus vaccabamus, et secretos recessus, quos amor optabat, studium lectionis offerebat. Apertis itaque libris, plura de amore quam de lectione verba se ingerebant, plura erant oscula quam sententie; sepius ad sinus quam ad libros reducebantur manus, crebrius oculos amor in se reflectebat quam lectio in scripturam dirigebat. Quoque minus suspitionis haberemus, verbera quandoque dabat amor, non furor, gratia, non ira, que omnium ungentorum suavitatem transcenderent. Quid denique? Nullus a cupidis intermissus est gradus amoris, et si quid insolitum amor excogitare potuit, est additum; et quo minus ista fueramus experti gaudia, ardentius illis insistebamus, et minus in fastidium vertebantur.

Et quo me amplius hec voluptas occupaverat, minus philosophie vaccare poteram et scolis operam dare. Tediosum mihi vehementer erat ad scholas procedere vel in eis morari; pariter et laboriosum, cum nocturnas amori vigilias et diurnas studio conservarem. Quem etiam ita negligentem et tepidum lectio tunc habebat, ut iam nichil ex ingenio sed ex usu cuncta proferrem, nec iam nisi recitator pristinorum essem inventorum, et si qua invenire liceret, carmina essent amatoria, non philosophie secreta; quorum etiam carminum pleraque adhuc in multis, sicut et ipse nosti, frequentantur et decantantur regionibus, ab his maxime quos vita similis oblectat. Quantam autem mestitiam, quos gemitus, que lamenta nostri super hoc

scolares assumerent, ubi videlicet hanc animi mei occupationem immo perturbationem presenserunt, non est facile vel cogitare.

Paucos enim iam res tam manifesta decipere poterat, ac neminem, credo, preter eum ad cuius ignominiam maxime id spectabat, ipsum videlicet puellae avunculum. Cui quidem hoc cum a nonnullis nonnumquam suggestum fuisset, credere non poterat, tum, ut supra memini, propter immoderatam suae neptis amicitiam, tum etiam propter ante actae vite meae continentiam cognitam. Non enim facile de his quos plurimum diligimus turpitudinem suspicamur, nec in vehementi dilectione turpis suspicionis labes potest inesse. Unde et illud est beati Iheronimi in epistola ad Castricianum: "Solemus mala domus nostrae scire novissimi ac liberorum ac coniugum vitia, vicinis canentibus, ignorare." Sed quod novissime scitur, utique sciri quandoque contingit, et quod omnes deprehendunt, non est facile unum latere; sic itaque pluribus evolutis mensibus et de nobis accidit.

O quantus in hoc cognoscendo dolor avunculi! quantus in separatione amantium dolor ipsorum! quanta sum erubescens confusus! quanta contritione super afflictione puellae sum afflictus! quantos meroris ipsa de verecundia mea sustinuit estus! Neuter quod sibi, sed quod alteri contigerat querebatur; neuter sua, sed alterius plangebatur incommoda. Separatio autem haec corporum maxima erat copulatio animorum, et negata sui copia amplius amorem accendebat, et verecundiae transactae iam passio inverecundiores reddebat; tantoque verecundiae minor extiterat passio quanto convenientior videbatur actio. Actum itaque in nobis est quod in Marte et Venere deprehensae poetica narrat fabula. Non multo autem post, puella se concepisse comperit, et cum summa exultatione mihi super hoc ilico scripsit, consulens quid de hoc ipse faciendum deliberarem. Quadam itaque nocte, avunculo eius absente, sicut nos condixeramus, eam de domo avunculi furtim sustuli et in patriam meam sine mora transmisi; ubi apud sororem meam tam diu conversata est donec pareret masculum quem Astralabium nominavit.

Avunculus autem eius post ipsius recessum quasi in insaniam conversus, quanto estuaret dolore, quanto afficeretur pudore, nemo nisi experiendo cognosceret. Quid autem in me ageret, quas mihi tenderet insidias, ignorabat.

Peter Abélard, *Planctus sacri*

Planctus virginum Israel super filia Iepte Galadite

A

Ad festas choreas celibes

ex more venite virgines!

Ex more sint ode flebiles

4 et planctus ut cantus celebres!

Inculce sint meste facies

plangentium et flentium similes!

aurate sint longe ciclades

8 et cultus sint procul divites!

I. a

Galadite virgo Iepte filia

10 miseranda patris facta victima

annuos virginum elegos

et pii carminis modulos

virtuti virginis debitos

14 per annos exigit singulos.

I. b

O stupendam plus quam flendam virginem!

16 o quam rarum illi virum similem!

Ne votum sit patris irritum

promisso –que fraudet dominum

qui per hunc salvavit populum,

20 in suum hunc urget iugulum.

II. a

Victor hic de prelio

dum redit cum populo,

prior hec pre gaudio

24 occurrit cum tympano.

Quam videns et gemens pater anxius

dat plausum in planctum voti conscius,

26 triumphum in luctum vertit populus.

Decepisti, filia,
me, dux ait, unica,

et decepta gravius
nostra lues gaudia,

33 quamque dedit dominus
perdet te victoria.

Illa refert: Utinam
meam innocentiam

37 tante rei victimam
aptet sibi placidam!

43 Immolare filium
volens Abraham
non hanc apud dominum
habet gratiam,
ut ab ipso puerum
vellet hostiam.

45 Puerum qui respuit
Si puellam suscipit,

48 quod decus sit sexus mei, percipe
uteri qui tui fructus, inspice,
quid mihi quid tibi sit hoc glorie.

II. b

Ut sexu sic animo
vir esto nunc, obsecro.

Nec mee nec tue obstes glorie
si tue preferre ne vis anime
53 exemplo – que pravo cunctos ledere.

Sinat te dilectio
preferat hanc domino

unaque tu dominum
offendens cum populo
amittas et populum
59 displicendo domino.

Non est hic crudelitas
sed pro deo pietas,
qui ne vellet hostiam
63 non daret victoriam.

Solvens ergo debitum
placa pater dominum
ne forte, cum placitum
67 erit, non sit licitum.

Quod ferre non trepidat
virgo tenera,
inferre sustineat
viri dextera,
sponsio quem obligat
73 voti propria.

Sed duorum mensium
indulgebis spatium,

quo valles et colles cum sodalibus
peragrans et plorans vacem planctibus,

78 quod sic me semine privet dominus.

Sitque legis sanctio
mea maledictio,
nisi sit remedio
munde carnis hostia,
quam nulla pollutio
84 nulla novit macula.

III.

His gestis rediit
ad patrem unica
secreti thalami
subintrans abdita
lugubris habitus
90 deponit tegmina.

a

Que statim ingressa balneum
circumstante coro virginum
fessam se refovet paululum,

et corpus pulvere squalidum
labore – que vie languidum
96 mundat ac recreat lavacrum.

b

Varias unguenti species
aurate continent pixides,
quas flentes afferunt virgines.

102 His illam condiunt alie,
capillos componunt relique
vel vestes preparant domine.

α

105 Egressa post paululum
virgo lota balneum
mittit patri nuntium
ut aram extruat
ignem acceleret
dum ipsa victimam
interim preparet,
que deo convenit
111 principem condecet

β

O quantis ab omnibus
istud eiulatibus
nuntium excipitur!

Urget dux populum
ut hec accelerent
et illa virgines
ut cultum properent
et tamquam nuptiis
120 morti se preparent.

γ

Illa bissum propriis
madefactum lacrimis
porrigit, hec humidam

124 fletu suo purpuram.

Auro gemmis margaritis
variatum est monile
quod sic pectus ornat eius
128 ut ornetur magis inde.

Inaures et anuli
cum armillis aurei
virginis tenerrimum
132 ornerant corpusculum.

Rerum pondus et ornatus
moram virgo iam non ferens

lecto surgit et repellit
que restabant ita dicens:

Que nupture satis sunt,
periture nimis sunt;
mox quem patri detulit
140 ensem nudum arripit.

B

Quid plura quid ultra dicimus?
quid fletus quid planctus ginnimus?

Ad finem quod tandem cepimus
plangentes et flentes ducimus.

Collectis circa se vestibus
in are succense gradibus
traditus ab ipsa gladius
148 peremit hanc flexis genibus.

O mentem amentem iudicis!

O zelum insanum principis!

O patrem sed hostem generis,

unice quod nece diluit!

Hebree dicite virgines

insignis virginis memores,

inclite puelle Israel,

156 hac valde virgine nobiles!

Trotula, *De ornatu mulierum*

Trotula 303, De dentibus dealbandis

Idem dentes emundat et albissimos reddit. Mulier post prandium os lavet vino optimo. Deinde bene exsiccare debet et extergere cum panno albo novo. Ad ultimum mastice cottidie feniculum vel levisticum vel petroselinum, quod melius est masticare, quia bonum reddit odorem et bonas gingivas emundat et dentes facit albissimos.

Trotula, *De curis mulierum*

Trotula 142-143, Ad concipiendum

142. Alia est cura qua reddimus matricem aptam ad concipiendum. Sed quoniam quedam sunt grosse quasi ydropice et quedam graciles, tam ille quam alie inepte sunt ad concipiendum. Utrisque modo diverso subvenimus. Si ergo fuerit fleumatica et grossa, faciamus ei balneum de aqua maris et salsa ad moderationem cum aqua pluviali inponimus, scilicet iuniperum, nepitam, pulegium, laureolam, absinthium, arthimesiam, ysopum, et huiusmodi herbas calidas. In hoc balneo faciat moram quousque satis sudet, post recipiatur in lecto caute, et bene sit cooperta, et si alium cibum pecierit, detur ei in principio rosata novella. Detur etiam cibus bonus et sanus et calidus, et vinum optimum modice sumptum. Sic ter vel quater in die fiat ei balneum, et in crastino die similiter. Tertia vero die fiat fumigium optimum et odoriferum quod supradiximus. Hanc etiam curam viris frigidis facimus, et loco fumigii damus eis confortativa calida.

143. Si vero sit grossa et quasi ydropica, distemperemus stercus vaccinum cum optimo vino et hoc tali postea illinimus, tunc intret stupham usque ad collum, que stupha multum caliditatis habeat ab igne facto ex sambuco, et in ea cooperta multum sudoris emittat, et quasi in stuphis ibi moretur ut aliquantulum per inferiora se purget, et erit quasi viride illud quod exibat. Que postquam satis sudaverit, abluat se cum aquam prioris balnei, et sic caute intret lectum, et hoc fiat bis vel ter vel quater in ebdomada, et satis gracilis invenitur. Istam bene cibabis, et bonum vinum et odoriferum potet. Viros etiam grossos hac cura reddimus graciles.

Edice: Trotula. Un compendio medievale di medicina delle donne. A cura di Monica H. Green. Firenze 2009, s. 310-311, 204-205.

Bernard de Clairvaux, *Planctus super fratrem Girardum*

3. Quousque enim dissimulo, et ignis quem intra me ipsum abscondo, triste pectus adurit, interiora depascitur? Clausus latius serpit, saevit acrius. Quid mihi et cantico huic, qui in amaritudine sum? Vis doloris abducit intentionem, et indignatio Domini ebibit spiritum meum. Subtracto siquidem illo, per quem mea in Domino studia utcunque libera esse solebant, simul et cor meum dereliquit me. Sed feci vim animo, ac dissimulavi usque huc; ne affectus fidem vincere videretur. Denique plorantibus aliis, ego, ut advertere potuistis, siccis oculis secutus sum invisum funus, siccis oculis steti ad tumulum, quousque cuncta peracta sunt exsequiarum solemniam. Indutus sacerdotalibus, solitas in cum orationes proprio ore complevi, terram meis manibus ex more jeci super dilecti corpus, terram mox futurum. Qui me intuebantur flebant, et mirabantur quod non flerem ipse, cum non illum quidem, sed me potius, qui illum amissem, omnes miserarentur. Cujus enim vel ferreum pectus super me ibi non moveretur, quem videret Girardo superstitem? Commune damnum; sed prae meo non reputabatur infortunio. At ego quibus poteram viribus fidei, reluctabar affectui, nitens vel invitus non moveri frustra addictione naturae, universitatis debito, conditionis usu, potentis jussu, iudicio iusti, flagello terribilis, Domini voluntate. Pro huiusmodi semper extunc et deinceps exegi a memetipso non indulgere multo fletui, multum tamen turbatus et moestus. Nec potui imperare tristitiae, qui potui lacrymae; sed, ut scriptum est: *Turbatus sum, et non sum locutus* (Psal. LXXVI, 5). At suppressus dolor altius introrsum radicavit, eo, ut sentio, acerbior factus, quo non est exire permissus. Fateor, victus sum. Exeat necesse est foras quod intus patior. Exeat sane ad oculos filiorum, qui scientes incommodum, planctum humanius aestiment, dulcius consolentur.

4. Scitis, o filii, quam justus sit dolor meus, quam dolenda plaga mea. Cernitis nempe quam comes deseruit me in via hac qua ambulabam, quam non segnis ad opus, quam suavis ad mores. Quis ita mihi pernecessarius? cui aequae dilectus ego? Frater erat genere, sed religione germanior. Dolete, quaeso, vicem meam vos, quibus haec nota sunt. Infirmus corpore eram, et ille portabat me; pusillus corde eram, et confortabat me; piger et negligens, et excitabat me; improvidus et obliviosus, et commonebat me. Quo mihi avulsus es? quo mihi raptus e manibus, homo unanimis, homo secundum cor meum? Amavimus nos in vita; quomodo in morte sumus separati? Amarissima separatio! et quam non posset omnino efficere nisi mors. Quando enim me vivus vivum desereres? Omnino opus mortis, horrendum divortium. Quis enim tam suavi vinculo mutui nostri non pepercisset amoris, nisi totius suavitatis inimica mors? Bene mors, quae unum rapiendo, duos furiosa peremit. **1355** An non mors etiam mihi? Imo plus mihi, cui utique omni morte infeliciores vita servata est. Vivo ut vivens moriar; et hoc dixerim vitam? Quam mitius me privares, o austera mors, vitae usu, quam fructu! nam vita sine fructu gravior mors. Denique duplex malum ligno paratur infructuoso, securis et ignis (Matth. III, 10). Ergo meis laboribus invidens, elongasti a me amicum et proximum, per cuius maxime studium erant, si quando erant, fructuosi. Satius proinde mihi fuisset periclitari vita, quam tua, o Girarde, praesentia, qui meorum in Domino studiorum eras sollicitus incitator, fidelis [*alias*, fortis] adiutor, cautus examinatus. Cur, quaeso, aut amavimus, aut amisimus nos? Dura conditio, sed mea miseranda fortuna, et non illius! Nam tu, charissime frater, si charos amisisti, chariores utique recepisti. Me vero quaenam jam miserum consolatio manet post te unicum solatium meum? Placita fuit pariter utrique societas corporum pro morum concordia; sed solum me divisio vulneravit. Commune quod libuit; quod triste et lugubre, meum: in me transierunt irae, in me confirmatus est furor. Erat ambobus alterutrum grata praesentia, dulce consortium, suave colloquium; sed tantas utriusque delicias ego perdidici, tu mutuasti. Et quidem immutatis illis retributio multa.

(In *Cantica canticorum Sermo XXVI, cap. 3-4, MPL 1183, 905-906*)

Hugo a Sancto Victore, *De tribus diebus*

Cap. 1.

Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur.

Tria sunt invisibilia Dei, potentia, sapientia, benignitas. Ab his tribus procedunt omnia, in his tribus consistunt omnia, et per haec tria reguntur omnia. Potentia creat, sapientia gubernat, benignitas conservat. Quae tamen tria sicut in Deo ineffabiliter unum sunt, ita in operatione omnino separari non possunt. Potentia per benignitatem sapienter creat. Sapientia per potentiam benigne gubernat. Benignitas per sapientiam potenter conservat. Potentiam manifestat creaturarum immensitas, sapientiam decor, benignitatem utilitas.

Immensitas creaturarum in multitudine et magnitudine. Multitudo in similibus, in diversis, in permistis. Magnitudo in mole et spatio. Moles in massa et pondere. Spatium est in longo, et lato, et profundo, et alto.

Decor creaturarum est in situ, et motu, et specie, et qualitate. Situs est in compositione et ordine. Ordo est in loco, et tempore, et proprietate. Motus est quadripartitus, localis, naturalis, animalis, rationalis. Localis est ante et retro: dextrorsum et sinistrorsum, sursum, et deorsum, et circum. Naturalis est in cremento, et decremento. Animalis est in sensibus et appetitibus. Rationalis est in factis et consiliis. Species est forma visibilis, quae oculo discernitur, sicut colores, et figurae corporum. Qualitas est proprietas interior, quae caeteris sensibus percipitur, ut melos in sono auditu aurium, dulcor in sapore gustu faucium, fragrantia in odore olfactu narium, lenitas in corpore tactu manuum.

Utilitas creaturarum constat in grato, et apto, et commodo, et necessario. Gratum est quod placet, aptum quod convenit, commodum quod prodest, necessarium sine quo quid esse non potest...

Edice: De tribus diebus (O třech dnech). Ed. Lenka Karfíková, Praha 1997.

Hugo a Sancto Victore, *Didascalicon*

Lib. 2, Caput XX. *Divisio mechanicae in septem.*

Mechanica septem scientias continet: lanificium, armaturam, navigationem, agriculturam, venationem, medicinam, theatricam. ex quibus tres ad extrinsecus vestimentum naturae pertinent, quo se ipsa natura ab incommodis protegit, quattuor ad intrinsecus, quo se alendo et fovendo nutrit, ad similitudinem quidem trivii et quadrivii, quia trivium de vocibus quae extrinsecus sunt et quadrivium de intellectibus qui intrinsecus concepti sunt pertractat. hae sunt septem ancillae quas Mercurius a Philologia in dotem accepit, quia nimirum eloquentiae, cui iuncta fuerit sapientia, omnis humana actio servit, sicut Tullius in libro rhetoricorum de studio eloquentiae dicit: Hoc tuta, hoc honesta, hoc illustris, hoc eodem vita iucunda fiat. nam hinc ad rem publicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium praesto est sapientia. hinc ad eos qui ipsam adepti sunt, laus, honos, dignitas, confluit. hinc amicis quoque eorum certissimum et tutissimum praesidium est. hae mechanicae appellantur, id est, adulterinae, quia de opere artificis agunt, quod a natura formam mutuatur. sicut aliae septem liberales appellatae sunt, vel quia liberos, id est, expeditos et exercitatos animos requirunt, quia subtiliter de rerum causis disputant, vel quia liberi tantum antiquitus, id est, nobiles, in eis studere consueverant, plebei vero et ignobilium filii in mechanicis propter peritiam operandi. in quo magna priscorum apparet diligentia, qui nihil intentatum linquere voluerunt, sed omnia sub certis regulis et praeceptis stringere. mechanica est scientia ad quam fabricam omnium rerum concurrere dicunt.

Lib. 2, Caput XXVI. Sexta: medicina.

Medicina dividitur in duas partes, occasiones et operationes. occasiones sex sunt: aer, motus et quies, inanitio et repletio, cibus et potus, somnus et vigiliae, et accidentia animae. quae ideo occasiones esse dicuntur, quia faciunt et conservant sanitatem, si temperata fuerint; si intemperata fuerint, infirmitatem. accidentia animae ideo dicuntur occasio sanitatis vel infirmitatis, quia aliquando vel commovent calorem impetuose, ut ira, vel leniter, ut delectationes, vel attrahunt et celant aut impetuose, ut terror et timor, aut leniter, ut angustia. et sunt quae commovent naturalem virtutem intus et extra, ut est tristitia. omnis operatio medicinae aut intus fit aut extra: intus, ut ea quae ore, naribus, auribus sive ano intromittuntur, ut potiones, vomitationes, pulveres etc., quae bibendo, vel masticando, vel attrahendo sumuntur; foris, ut epitimata, cataplasmata, emplastra, chirurgia, quae duplex est: in carne, ut incidere, suere, urere; in osse, ut solidare et iuncturae reddere. nec moveat quemquam quod cibus et potum inter attributa medicinae annumero, quae superius venationi attribui, quia secundum diversos respectus hoc factum est. vinum namque in botro agriculturae est, in peno, celararii, in gustu, medici. similiter ciborum apparatus ad pistrinum, macellum, coquinam pertinet; virtus saporis, ad medicinam.

Edice: Didascalion, ed. Ch. H. Buttmer, Washington 1939, Studies in Medieval and Renaissance Latin X

Jan ze Salisbury, *Policraticus*, kn. 4.

cap. I. De differentia principis et tyranni, et quid sit princeps.

Est ergo tyranni et principis haec differentia sola uel maxima, quod hic legi obtemperat et eius arbitrio populum regit cuius se credit ministrum, et in rei publicae muneribus exercendis et oneribus subeundis legis beneficio sibi primum uendicat locum, in eoque praefertur ceteris, quod, cum singuli teneantur ad singula, principi onera imminent uniuersa. Vnde merito in eum omnium subditorum potestas confertur, ut in utilitate singulorum et omnium exquirenda et facienda sibi ipse sufficiat, et humanae rei publicae status optime disponatur, dum sunt alter alterius membra. In quo quidem optimam uiuendi ducem naturam sequimur, quae microcosmi sui, id est mundi minoris, hominis scilicet, sensus uniuersos in capite collocauit, et ei sic uniuersa membra subiecit, ut omnia recte moueantur, dum sani capitis sequuntur arbitrium. Tot ergo et tantis priuilegiis apex principalis extollitur et splendescit, quot et quanta sibi ipse necessaria credidit. Recte quidem, quia populo nichil utilius est quam ut principis necessitas expleatur; quippe cum nec uoluntas eius iustitiae inueniatur aduersa. Est ergo, ut eum plerique diffiniunt, princeps potestas publica et in terris quaedam diuinae maiestatis imago. Proculdubio magnum quid diuinae uirtutis declaratur inesse principibus, dum homines nutibus eorum colla submitunt et securi plerumque feriendas praebent ceruices, et impulsu diuino quisque timet quibus ipse timori est. Quod fieri posse non arbitror, nisi nutu faciente diuino. Omnis etenim potestas a Domino Deo est, et cum illo fuit semper, et est ante eum...

cap. V. Quod principem castum esse oportet, et avaritiam declinare.

... Sed copiam Salomonis obicit aliquis. Esto, principem locupletem fieri non prohibeo sed auarum. Nonne aurum et argentum Salomonis tempore uiluerunt? Non utique uiluissent, si eorum immensa pondera et quae usum excederent, sibi rex cupidus conguessisset. Potuerat ea in terram defodiens, quo cariora fierent, humanis usibus subraxisse. Apud Petronium Trimalchio refert fabrum fuisse, qui uitrea uasa faceret tenacitatis tantae ut non magis quam aurea uel argentea frangerentur. Cum ergo fialam huiusmodi de uitro purissimo et solo (ut putabat) dignam Cesare fabricasset, cum munere suo Cesarem adiens, admissus est.

Laudata est species muneris, commendata manus artificis, acceptata est deuotio donantis. Faber uero, ut admirationem intuentium uerteret in stuporem, et sibi plenius gratiam conciliaret imperatoris, petitam de manu Cesaris fialam recepit, eamque ualidius proiecit in pauimentum tanto impetu ut nec solidissima et constantissima eris materia maneret illesa. Cesar autem ad haec non magis stupuit quam expauit. At ille de terra sustulit fialam, quae quidem non fracta erat sed collisa, ac si eris substantia utri speciem induisset. Deinde martiolum de sinu proferens uitium correxit aptissime, et tamquam collisum uas eneam crebris ictibus reparauit. Quo facto se celum Iouis tenere arbitratus est, eo quod familiaritatem Cesaris et admirationem omnium se promeruisse credebat. Sed secus accidit. Quaesiuit enim Cesar an alius sciret hanc condituram uitreorum. Quod cum negaret, eum decollari praecepit imperator dicens quia, si hoc artificium innotesceret, aurum et argentum uilescerent quasi lutum. An uera sit relatio et fidelis incertum est, et de facto Cesaris diuersi diuersa sentiunt. Ego uero sapientiorum non praeiudicans intellectui deuotionem potentis artificis male remuneratam arbitror, et inutiliter humano generi prospectum, cum ars egregia deleta sit, ut fomes auaritiae, pabulum mortis, contentionum praeliorumque causa pecunia pecuniaeque materia seruaretur in pretio, quod sine diligentia hominis fuerat habitura, cum sine se esse non possit quae rerum pretium est. *) Vtique:

In pretio pretium nunc est; dat census honores,
census amicitias; pauper ubique iacet.

Longe utilius quidam omnem materiam iurgiorum et causam odii a suis rebus publicis exterminare studuerunt, ut causa deficiente effectus malitiae euanesceret; quale est decretum Ligurgi apud Lacedaemonios, et in antiqua Graecia, quae nunc pars Italiae est, Samii doctrina Pitagorae, qui constitutionum suarum robore et uirtute traditur totam seruasse Italiam.

*) cum sine se etc.: i.e. cum sine pretio esse non possit pecunia, quae ipsa pretium est.

Edice: Ioannis Saresberiensis episcopi Carnotensis Policratici sive De nugis curialium et vestigiis philosophorum libri VIII, 2 vol. ed. Clemens C. I. Webb, Oxonii MCMIX.

Petr z Blois, Epistulae,

Č. 154, Epistola ad reginam Anglorum [A. D. 1173.]

ARGUMENTUM. — Monetur regina Anglorum Aleonora, ut una cum filiis in patrem Henricum conspirantibus viro reconcilietur.

Reginae Anglorum Rothomagensis archiepiscopus, et suffraganei sui, salutem, et quae ad pacem sunt quaerere.

In publicam notitiam venit, nec alicui Christiano licitum est ignorare, quam firma et indissolubilis sit copula conjugalis. Matrimonia semel in inita separari non posse sanxit Veritas, quae mentiri non potest: Quod Deus, inquit, coniunxit, homo non separet²⁹. Sicut autem divini mandati se transgressorem constituit, qui separat conjugatos, ita culpabilis conjugata est, quae se a viro suo separat, fidemque socialis vinculi non observat. Cum una caro conjuges efficiantur, necesse est ut unionem corporum comitetur spirituum unitas et paritas in consensu. Naturae conditionem, apostoli mandatum, et Evangelii legem mulier illa evacuat, quae viro non est subdita. Caput enim mulieris vir est³⁰, de viro sumpta est, viro est unita, viri subdita potestati. Omnes itaque communi et lamentabili quaerimonia

²⁹ Matth. 19.

³⁰ Ephes. 5.

deploramus, quod, cum sis mulier prudentissima, divertis a viro, recedit latus a latere, membrum capiti non deservit, imo, quod enormius est, viscera domini regis, et tua pateris insurgere contra patrem, ut merito cum propheta dicat: Filios enutrivi et exaltavi; ipsi autem spreverunt me³¹. Utinam, sicut alius propheta commemorat, praevenisset hora novissima dies nostros, et operuisset terra faciem nostram, ne videremus haec mala! Scimus quia, nisi revertaris ad virum tuum, eris generalis ruinae occasio; et quod singulariter nunc delinquis, in commune dispendium convertetur. Revertere itaque, regina illustris, ad virum tuum et dominum nostrum; ut in tua reconciliatione reformetur laborantibus quies, et in tuo reditu laetitia redeat universis. Si te ad hoc non promovent preces nostrae, te saltem afflictio populorum, imminens pressura Ecclesiae et desolatio regni sollicitet. Aut enim mentitur Veritas, aut omne regnum in se divisum desolabitur³². Sane haec desolatio in dominum regem converti non potest, sed in filios ejus et successores ipsorum; contra manum femineam, et consilium puerile provocatis offensam domini regis, cui etiam fortissimi reges colla subjiciunt. Eapropter, antequam res in deteriorem exitum vergat, redeas cum filiis ad maritum, cui parere et cohabitare teneris; te converte, nec tibi aut tuis filiis sit suspectus. Certissimi enim sumus quod omnimodam exhibebit vobis dilectionem et securitatis plenissimam firmitatem. Mone, quaeso, filios tuos, ut patri suo subditi et devoti existant, pro quibus tot passus est angustias, tot discrimina, tot labores. Unde ne inconsulta facilitas dilapidet ac disperdat quod tantis est sudoribus acquisitum, haec tibi piissima regina, et zelo Dei dicimus et sinceræ charitatis affectu; parochiana enim nostra es, sicut et vir tuus. Non possumus deesse justitiae. Vel redibis ad virum tuum, vel jure canonico constringemur et tenebimur in te censuram ecclesiasticam exercere. Quod quidem inviti dicimus, et quod, nisi resipueris, cum dolore et lacrymis faciemus. Valet.

Edice: J. P. Migne, Patrologia Latina 207, sl. 447-449.

Petrus Riga, *Biblia versificata – Aurora*

Modum autem conversionis Dionysii, quia tacet historia Actuum, ideo nostrum est supplere. (Actus Apostolorum)

Vir prudens Dionysius hic florebat Athenis,
 Doctrina clarus, pius et dulcedine lenis.
 Cum Paulo de doctrinis dum disserit iste
 Et Paulus reddit tanto responsa sophiste,
 Cecus iter carpens oculis occurrit eorum,
 Cui frons orba fuit oculorum luce duorum.
 Vir predictus ait Paulo: „Sub nomine Christi
 Luminis aspectus si ceco redditur isti,
 Credam – si magicum fugiant tua uerba uigorem,
 Si cecus uideat Christi uirtute nitorem.
 Forma sit hec igitur uerborum: „Suscipe uisum,
 Si Deus est Christus, si dat iustis paradisum,
 Si sacra protulit hunc illeso flore puella,
 Si perduxit ad hunc tres reges unica stella,
 Si moriens mundum pretioso sanguine lauit,
 Si post surrexit cum tertia lux radiauit,

³¹ Isa. 1

³² Luc. 11.

Si scandens celos est sanctis regna daturus,
Si ueniet iudex in mundi fine futurus.
Paule, per hanc formam uerbi fac cernere cecum;
Credam, magnificans Christi magnalia tecum.
Paulus ait: „Profer hanc formam: precipe ceco
Vt uideat; fidei fieri nouus incipe preco.“
Formam uerborum profert Dionysius illam
Et facit his uerbis oculi radiare pupillam.
Sic est conuersus et plurima turba uirorum
Credidit in Christum, contempnens sacra deorum.

De Saulo qui persequatur ecclesiam et conuersione eius (373-410)

Historie textus redit; ad tormenta trahebat
Christicolas Saulus, quod zelo legis agebat.
Scripta sacerdotum per castra, per oppida gestans,
Hos trahit, hos torquet, pia corda furore molestans;
Dumque uiam tereret, cedem sitiens et anhelans,
Hunc Iesus infrenat, fidei secreta reuelans.
Emicat e celo lux prosternitque furentem;
Alloquiturque Iesus isto sermone iacentem:
„Quid me, Saule, premis? Cur in mea membra furorem
Exerces, animo iustum sitiendo cruorem?
Est durum contra stimulum tibi tendere calcem.
Ne mea membra metas; resecantem comprime falcem.“
Iste, „Quis es, Domine?“ respondit. „Sum Iesus,“ inquit.
Hunc tremor inuadit frontisque lucerna relinquit.
Cecus fronte Iesum uidet intus lumine mentis;
Inquirens quid agat, intendens uerba loquentis.
Cui Iesus inquit: „Abi surgens urbemque subintra;
Dicetur tibi fieri quid oporteat intra.“
Qui Sauli comites aderant stant corde trementes;
Aure sonum capiunt sed nullum stare uidentes.
Ceco dando manus accedunt menibus urbis;
Intrant cum Saulo, mirantibus undique turbis.
Nil uidit, nil gustauit tribus ille diebus,
Sed mens eius erat diuinis dedita rebus.
Creditor hic triduo secreta poli didicisse,
Nes sibi doctorem nisi Sanctum Pneuma fuisse.

De Anania qui missus est ad Saulum.

Hac uir in urbe fuit Ananias nomine dictus,
Preco sacre fidei galeaque salutis amictus.
Huic Iesus apparens in uisu precipit ire
Vt Saulum querat et Iude tecta subire.
„Audiui, Domine,“ respondit, „quod mala seruis
Intulit iste tuis tormento, carcere, neruis.“
Cui rursus Dominus: „Noli mea iussa morari!
Ad bona proficiens iam desinit iste minari.
Vas erit electum michi nobile, uas et honoris;

Excoquet hunc hominem fornax accensa laboris.
Coram principibus et regibus absque timore
Deferet ille meum nomen uel corde uel ore.“

13.století

Robert Grosseteste, *De sphaera, cap. V.*

Post hoc videndum est de motu stellarum fixarum, quem habent praeter motum ab oriente in occidentem qui est communis omnibus corporibus caelestibus. - Verumtamen ex eo quod dicuntur fixae, videtur quod non habent motum aliquem praeterquam praedictum. - Sed sciendum est, quod non dicuntur stellae fixae, quia non habent motum proprium, sed quoniam figura et imago, quam constituunt aliquot ex his, quae dicuntur stellae fixae, semper retinentur ab eis, verbi gratia si tres stellae triangulum faciunt, semper retinent eandem figuram. A fixatione igitur figurarum, quas faciunt, fixae dicuntur. Ptolemaeus igitur in libro Almagesti posuit, quod omnes stellae fixae et omnes auge planetarum moventur super polos zodiaci, et quod unaquaeque describit in centum annis unum gradum de circulo, in quo situm est corpus stellae, descripto super polos zodiaci contra motum firmamenti. Et accideret per hanc viam Ptolemaei, quod auge solis et stellae, quae sunt in signis septentrionalibus, pervenirent in signa australia, fieretque regio habitata inhabitabilis; quod patet per rationem superius dictam, qua ostenditur per solis excentricitatem, quod regio inter eclipticam et parallelum australem est inhabitabilis.

Edice: Die Philosophischen Werke des Robert Grosseteste, Bischofs von Lincoln (Münster i. W., Aschendorff, 1912.), s. 11-32.

Tomáš Akvinský, *De emptione et venditione ad tempus*

Prooemium

Carissimo sibi in Christo fratri Iacobo Viterbiensi lectori Florentino, frater Thomas de Aquino salutem.

Capitulum I

Recepi litteras vestras cum quibusdam casibus super quibus electi Capuani et meam sententiam petebatis. Super quibus collatione habita cum eodem Capuano electo et postmodum cum domino Hugone cardinali, duxi ad primum casum taliter respondendum: quod - supposito quod illa consuetudo de dilatione solutionis usque ad spatium trium mensium, sicut proponitur, sit ad commune bonum mercatorum, scilicet pro expediendis mercationibus, et non in fraudem usurarum introducta - videtur esse distinguendum. Quia aut vendit venditor suas mercationes ad terminum praedictum ultra quantitatem iusti pretii propter expectationem, aut secundum iusti pretii quantitatem. Si primo modo, non est dubium usurarium esse contractum, cum expectatio temporis sub pretio cadat. Nec potest esse excusatio si secundus venditor sit primi minister, cum ob nullam causam liceat pro termino expectationis pecuniae pretium augeri. Si autem secundo modo, non est usura. Nec obstat si pro minori pretio daret si statim pecunia solveretur. Quod per simile potest in aliis debitis videri; quia si alicui debeatur aliquid ad certum terminum, quandocumque de eo quod est sibi debitum dimitteret si sibi citius solveretur, in quo casu constat eum cui debetur ab usurae peccato omnino esse immunem. Licet enim plus accipere de debito propter temporis dilationem usuram sapiat, minus tamen accipere ut sibi citius solvatur usuram non sapit,

maxime ex parte eius qui minus recipit, quamvis ex parte eius qui minus dat ut citius solvat, videatur esse aliquis modus usurae cum spatium temporis vendat. Unde etiam in casu proposito plus esset de usura timendum emptori qui ubi ante tres menses solvat, minus iusta extimatione pannos emit, quam venditori qui minus accipit ut citius ei solvatur.

Capitulum II

Ex quo etiam patet quid sit dicendum ad secundum casum. Quia si mercatores Tusciae portantes pannos de nundinis Latiniaci, ut eos usque ad tempus resurrectionis expectent, plus vendant pannos quam valeant secundum communem forum, non est dubium esse usuram. Si autem non plus quam valeant sed quantum valent, plus tamen quam acciperent si statim eis solveretur, non est usura.

Edice: S. Thomae de Aquino opera omnia, tomus XLII, 383-390, Editio Leonina, Romae 1886

Petrus de Vineis: *Epist. III/X*

Magistro Petro de Hybernia, de studio Neapolitano.

Noster instanter, quem in subditorum semper emolumenta dirigimus, sollicitatur affectus, qualiter regni nostri Siciliae praeclara possessio, sicut rerum ubertate victualium ad dispensationem divini nominis natura profluente tripudiat, sic ad nostrae provisionis edictum, virorum perfectione scientium, fortuna favente, valeat foecundari. Ad quod, etsi progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas invitet exemplo dum diversarum scientiarum doctores, dudum in regno comperimus, et multos artium liberalium beneficio munimentis provectos ad ardua, quos innata ruditas honoris et gloriae reddidisset indignos, sic nos super his et priorum tempora reviviscere volumus: ut quae per intervalla quantalibet quassata videntur, jam passa dissidia sub juventutis nostrae primordiis seniliter juvenescant: ac dum fideles nostri regnicolae paratam sibi mensam propositionis inspexerint, non solum supervacuum sibi reputent aliena proinde flagitare suffragia, sed gloriosum existiment extraneos alios ad gratitudinis huiusmodi participium evocare. Cumque civitatem Neapolitanam, antiquam utique matrem et domum studii, tam marinae vicinitatis habilitas, quam terrenae fertilitatis foecunditas reddant utiliter tanto negotio congruentem, generale studium in civitate ipsa mandavimus reformari: ut quam localis amoenitas, plenitudine rerum gratificat docentibus, et addiscentibus, undique collecta commoditas efficiat gratiosam. Te igitur quem antiquae fidei praescripta sinceritas, et praestita dudum felicitis recordationis domino patri nostro grata servitia nobis efficaciter recommendant: de cuius etiam experta scientia, probitate cognita, et doctrina probata, in conspectu nostro jam pluries multorum testimonia claruerunt: ad celebranda communis studii ejusdem festiva solennia hilariter providimus invitandum: fidelitati tuae praecipiendo mandantes, quatenus de favore et gratia nostra securus, ad civitatem ipsam, ob reverentiam Majestatis nostrae, personaliter recturus accedas. Et ut certam concipias de nostrae gratiae liberalitate fiduciam, firmiter te tenere volumus, quod in adventu tuo, in signum secundioris auspicii, de valore annuo 12. unciarum auri tibi faciat nostra munificentia provideri.

Galfredus de Vino Salvo, *Poetria nova*

(následujícímu textu předchází věnování papeži Innocenci III.)

Si quis habet fundare domum, non currit ad actum

Impetuosa manus: intrinseca linea cordis

Praemetitur opus, seriemque sub ordine certo

45 Interior praescribit homo, totamque figurat

Ante manus cordis quam corporis; et status eius
 Est prius archetypus quam sensilis. Ipsa poesis
 Spectet in hoc speculo quae lex sit danda poetis.
 50 Non manus ad calamum praeceps, non lingua sit ardens
 Ad uerbum: neutram manibus committe regendam
 Fortunae; sed mens discreta praeambula facti,
 Vt melius fortunet opus, suspendat earum
 Officium, tractetque diu de themate secum.
 55 Circinus interior mentis praecircinet omne
 Materiae spatium. Certus praelimitet ordo
 Vnde praearripiat cursum stylus, aut ubi Gades
 Figat. Opus totum prudens in pectoris arcem
 Contrahe, sitque prius in pectore quam sit in ore.
 60 Mentis in arcano cum rem digesserit ordo,
 Materiam uerbis ueniat uestire poesis.
 Quando tamen seruire uenit, se praeparet aptam
 Obsequio dominae: caueat sibi, ne caput hirtis
 Crinibus, aut corpus pannosa ueste, uel ulla
 65 Vltima displiceant, alicunde nec inquinat illud
 Hanc poliens partem: pars si qua sedebit inepte,
 Tota trahet series ex illa parte pudorem:
 Fel modicum totum mel amaricat; unica menda
 Totalem faciem difformat. Cautius ergo
 70 Consule materiae, ne possit probra uereri.
 Carminis ingressus, quasi uerna facetus, honeste
 Introducat eam. Medium, quasi strenuus hospes,
 Hospitium sollemne paret. Finis, quasi praeco
 Cursus expleti, sub honore licentiet illam.
 75 Omni parte sui modus omnis carmen honoret,
 Ne qua parte labet, ne quam patiaturs eclipsim.

(E. Faral, *Les arts poétiques*, Paris 1924)

Guido Faba, *Summa de vitiis et virtutibus, lib. 1 (de vitiis)*

[1] In terris a Domino cuilibet est concessum libere voluntatis arbitrium ut unusquisque proprio motu vel fructum penitentiae faciat vel edificet ad gehennam. [2] Sicque fit quod in ecclesia militanti non est a iustis separatio impiorum, nec ideo mali quia tollerantur se reputent absolutos: nam Iudas inter electos discipulos morabatur qui fur erat et Dominum prodidit et laqueo se suspendit. [3] Iterum tales quia multitudo sit in causa excusationis materiam non assumant, quia non minus ardebunt qui cum multis ardebunt.
 [4] Cum autem omnis etas pronior sit ad malum, ut filii prevaricationis se gaudeant recepisse per gratiam quod non potuerunt assequi per naturam, de vitiis que infestant recipiant magisterium et doctrinam, ut eis cognitae sicut hostes purgentur cum suis ducibus et satellitibus universis.
 [5] Superbia quippe regina est omnium vitiorum mater et origo peccati et radix cunctorum malorum, scriptura testante qua dicitur initium omnis peccati superbia. [6] Hec de altis polorum abiecta, cum redire unde cecidit nunquam possit, conatur viam claudere ascendenti.
 [7] Sane cum hec suo morbo cor hominis plenarie ceperit, mox illud vij principalibus vitiis, scilicet: inani gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvie et luxuria, quasi quibusdam suis ducibus nititur devastare. [8] Set contra hec nos Dominus oculo pietatis aspiciens, ad spirituale liberationis prelium septiformis gratie spiritu plenus venit.

Fridrich II., *De arte venandi cum avibus, prolog*

Incipit libri prologus de venatione avium rapacium facti per nobilissimum ac sapientissimum imperatorem Fredericum secundum.

Presens opus agendi nos induxit instans tua petitio, vir clarissime M<ichaele> S<cote>, et ut removeremus errorem plurium circa presens negotium, qui sine arte hiis, que artis erant, in eodem negotio abutebantur, imitando quorundam libros mendaces et insufficienter compositos de ipso, et ut relinqueremus posteris artificiosam traditionem de materia huius libri. Nos tamen, licet proposuissemus ex multo tempore ante componere presens opus, distulimus fere per triginta annos propositum in scripto redigere, quoniam non putabamus nos extunc sufficere, nec legeramus unquam aliquem precessisse, qui huius libri materiam complete tractasset, particule vero aliquot ab aliquibus per solum usum scite erant et inartificialiter tradite. Ideo multis temporibus cum sollicitudine et studio diligenti inquisivimus ea, que huius artis erant, exercitantes nos mente et opere in eadem, ut tandem sufficeremus redigere in librum, quicquid nostra experientia aut aliorum didicerat, quos, quia erant experti circa praticam huius artis, non sine magnis dispendiis ad nos vocavimus de longinquo vocatosque undecumque nobiscum habuimus, deflorando quicquid melius noverant eorumque dicta et facta memorie commendando. Qui quamvis arduis et inexplicabilibus fere negotiis persepe prepediti essemus circa regnorum et imperii regimina, tamen hanc nostram intentionem presentis negotii non postposuimus. In scribendo etiam Aristotilem, ubi oportuit, secuti sumus. In pluribus enim, sicut experientia didicimus, maxime in naturis quarundam avium, discrepare a veritate videtur. Propter hoc non sequimur principem philosophorum in omnibus, raro namque aut nunquam venationes avium exercuit, sed nos semper dileximus et exercuimus. De multie vero, que narrat in libro animalium, dicit quosdam sic dixisse, sed id, quod quidam sic dixerunt, nec ipse forsan vidit, nec dicentes viderunt, fides enim certa non provenit ex auditu. Quod vero multi multos libros scripserunt et nonnisi quedam de arte, signum est artem ipsam plurimum esse difficilem et adhuc diffusam. Et dicimus, quod aliqui nobiles minus negotiosi nobis, si huic arti attente operam exhibebunt, cum adiutorio huius libri poterunt meliorem componere, assidue siquidem nova et difficilia emergunt circa negotia huius artis. Rogamus autem unumquemque nobilem huic libro ex sua sola nobilitate intendere debentem, quod ab aliquo scientiarum perito ipsum legi faciat et exponi, minus bene dictis indulgens. Nam cum ars habeat sua vocabula propria quemadmodum et cetera artium et nos non inveniremus in gramatica Latinorum verba convenientia in omnibus, apposuimus illa, que magis videbantur esse propinqua, per que intelligi posset intentio nostra.

Edice: De arte venandi cum avibus. Ed. Carl A. Willemsen, Leipzig 1942.

Eberhardus Alemannus, *Laborintus*

Ad se septenas, quae regnat in arte, puellas
De se progenitas Philosophia uocat.
"Estis progenies, inquit, mea fida, parentis
130 Obsequiis fructus exhibitura boni.
Absque mea luce non lucet uestra lucerna:
Est etiam uestrae lux mea lucis egens.
Quod seritis meto; quod plantatis colligo; quidquid
Thesaurizatis arcula nostra tenet.
135 Inter uos gradus est soror in limine prima
Primo, quae lactis ubera plena gerit.

Compositae uocis haec ponit semina, per se
Quae uocem, quae non dent, elementa docet.
Diuidit in quinque per se facientia uocem;
140 Est maior numero cetera turba suo.
Mutas et liquidas numerat, quae sunt coeuntes
Vocales monstrat ui remanente sua.

(E. Faral, *Les arts poétiques*, Paris 1924)

Caesarius z Heisterbachu, *Dialogus miraculorum*

dist. IV, cap. XIV. Item de Abbate, qui sedens in equo superbo, Frederico Regi Romanorum propinquare non potuit.

MONACHUS: Anno praeterito Abbas quidem de ordine nostro, bene notus mihi, cum occurreret Frederico Regi Romanorum, qui avunculo suo Philippo successit in Imperio, habens cum illo loqui aliquid, ita coepit equus eius hinnire, lascivire et in saltus se dare, ut Regi in equo satis mansueto sedenti, nullo sisu posset propinquare. NOVICIUS: Quid posset tunc tantus Princeps cogitasse? MONACHUS: Puto illum non modice fuisse scandalizatum. Nam simile ei in equo eodem contigit mecum, et ego scandalizatus fui in eo propter equum. Recedens vero a Rege cum multa erubescencia, equo illo effreni ut noluit de cetero. Abbas iste homo erat senex, simplex satisque humilis ac disciplinatus, licet in hac equitatura minus fuisset circumspectus. NOVICIUS: Quod iuste in religiosis saecularibus displicet, Deo placere non potest. MONACHUS: Verum dicis, quia Deo debemus conscientiam, famam hominibus. Omnibus Christianis dicitur a Christo: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Ut enim taceam de scandalo saecularium in superbia religiosorum, cum Iudaei et pagani superbiam vel signa superbiae vident in Christianis, religionem Christianam horrent, et blasphematur nomen Christi per eos. De hoc tibi referam verba cuiusdam Sarraceni, memoria valde dignissima.

dist. V, cap. IX. De daemone, qui dixit se malle cum una anima a se decepta descendere in infernum, quam redire ad coelum.

Daemon quidam dum hominem a se obsessum horribiliter torqueret, et diversis per os eius garriendo diversa responderet, dictum est ei a quodam ex circumstantibus: Dic, diabole, si posses ad gloriam in qua fuisti redire, quid velles propter hoc laboris sustinere? Respondit ille: Si hoc esset in meo arbitrio, mallet cum una anima a me decepta descendere in infernum, quam redire ad coelum. Mirantibus omnibus cur ita diceret, iterum hoc verbum respondit: Quid de hoc miramini? Tanta est malitia mea, et tam obstinatus sum in illa, ut non possim aliquid velle boni. Huic verbo alterius cuiusdam daemonis sermo non concordat.

dist. V, cap. X. De alio daemone, qui contraria dicebat.

In ecclesia beati Petri in Colonia cum femina quaedam a daemone obsessa miserabiliter tormentaretur, contigit ut alia obsessa superveniret. Mox una contra alteram coepit insurgere, clamoribus et contumeliis sic se invicem afficere, ut omnes miraremur. Daemon daemoni dicebat: Miser, ut quid consentiendo Lucifero sic de gloria aeterna ruimus? Ad quod alter respondit: Quare fecisti? Cumque ille adhuc quasi poenitudinis verba proferret, alter subiunxit: Tace, poenitentia ista nimis est sera, redire non poteris. Vides quanta sit in illis obstinatio? Idem spiritus malignus de reditu ad gloriam, sicut superior, interrogatus, verbum sermoni eius valde contrarium audiente me respondit: Si esset, inquit, columna ferrea et ignita, rasoriis et laminis acutissimis armata, a terra usque ad coelum erecta, usque ad diem

iudicii, etiam si carnem haberem, in qua pati possem, me per illam trahere vellem, nunc ascendendo, nunc descendendo, dummodo redire possem ad gloriam in qua fui. NOVICIUS: Quid est quod tam contraria senserunt? MONACHUS: Daemon superior, sciens propositionem sibi factam prorsus impossibilem, malitiam suam ostendit; iste quantum boni perdiderit, verbis quibus valuit declaravit. NOVICIUS: Timentne daemones poenam sibi praeparatam? MONACHUS: Sentiunt et timent. Hinc est quod omnes exorcismi, qui ad illorum nequitiam enervandam fiunt, per ignem et extremum iudicium concluduntur. Quam parati sint ad nocendum hominibus, aliis tibi ostendam exemplis.

dist. V, cap. XI. De daemone, qui confessus est, se intrasse feminam, eo quod sibi tradita fuisset a marito.

Dum Abbas noster anno praeterito in Monte sancti Salvatoris iuxta Aquisgrani missam celebraret, finita missa oblata est mulier obsessa. Super cuius caput cum legisset lectionem evangelicam de ascensione, et ad illa verba: Super aegros manus imponent, et bene habebunt, manum capiti eius imposuisset, daemon vocem emisit tam horribilem, ut omnes terreremur. Adiuratus ut exiret, respondit: Nondum vult Altissimus. Interrogatus quomodo intrasset, nec ipse respondit, nec mulierem respondere permisit. Postea confessa est, ad vocem mariti sui in commotione animi sui dicentis: Vade diabolo, quod intrare illum senserit per auriculam. Erat autem eadem femina de Aquensi provincia, et satis nota.

Edice: Caesarii Heisterbacensis monachi Ordinis Cisterciensis Dialogus Miraculorum, ed. Joseph Strange, 2 vol., Köln, Bonn, Bruxelles 1851

Stabat mater

Překlad Adama Michny z Otradovic: Utrpnost křesťana s rodičkou boží pod křížem

Stála Matka litující
u dřeva kříže plačící
když na něm pněl Kristus Pán.

5 Jejižto srdce žalostné,
zarmoucené a bolestné
prorazil meč z obou stran.

Ó jak smutná a žalostná
byla ta Máti milostná
pro Syna jedinkého.

10 Jenž kvílila a želela
vše trnouce, když viděla
ty mouky Choti svého.

15 Kdo by neměl zaplakati,
vida Matku Páně státi
tím hořem obklíčenou.

Kdo by neměl litovati,
kdyby chtěl považovati
Máteř s Synem ssouženou.

20 Pro hříchy svého národu
viděla ho nésti škodu
a biči zmrskaného.

- Viděla Syna milého
při smrti opuštěného,
když pustil ducha svého.
- 25 Aj Máťe, studně milosti,
propůjč mi nětco žalosti,
ať se s tebou rozkvílím.
- Čiň, ať se mi srdce rozžne
v lásce Kristově pobožně,
30 ať se mu tak zalíbím.
- Svatá Máti, rač popřítí,
bych moh mé srdce raniti
ranami Syna Tvého.
- Jenž ráčil pro mne trpěti
35 a tak těžce raněn býti
rozděl mne s strasti jeho.
- Popřej mi s tebou plakati
a Krista vždy litovati,
dokud v těle zůstávám.
- 40 Vedle kříže s tebou státi
a v tvé žalosti trvati
za to tě věrně žádám.
- Panno jenž jsi nejjasnější,
již mi nebyvej trpčejší,
45 dejž mi s tebou želeti.
- Dejž, ať mohu smrt Kristova
nésti a ten los křížova (!)
a na rány pomněti.
- Jeho ranami mne ukoj
50 a tím svatým křížem upoj
pro lásku syna tvého.
- Tak roznícen a rozpálen,
abych byl skrz tě obhájen
v hodinu dne soudného.
- 55 Rač mne křížem ostříhati,
smrtí Krista odívati
a chovati v milosti.
- Když zde v světě tělo zhyne
a duše se z něho vyhne,
60 aby šla do radosti.

Adam Michna z Otradovic, Mariánská muzika, ed. Ant. Škarka, in: A.M.z O. Das dichterische Werk (Česká mariánská muzika – Loutna česká – Svatoroční muzika), Fink, München 1968). MM č. 39, str. 88-9.

Dies Irae

Překlad Adama Michny z Otradovic: Alarmo soudu všeobecného

Den, hněvu den,
ten hrozný den
k soudu poslednímu,
v němž bude strach
i auveh, ah
člověku hříšnému.

Zatroubení
hrozné znění
hrob každý pronikne.
Hlas „Slyš troubu,
vstaň, pod' k soudu!“
po všem světě vznikne.

Tutt' prach shnilý
tvůj v tu chvíli
v tělo se zas vrátí:
chtěj neb nechtěj
z hrobu celej
musíš se ven bráti.

Tak vzkříšený,
přestrašný
v novém těle jsouce,
rejstra vzíti,
k počtu jíti
zvolá hrozný soudce.

Rejstra psaná
na soud dána
k vlastnímu přiznání:
ach což tu tvé
hořké bude
v hříších oplývání.

Spravedlivý
Pán horlivý
soudce bude světa:
ach zapřítí,
nětco skrýti
před ním bude veta.

Což já bídný
jsouce vinný,
mluvit budu v ten čas?
An pravdivý,
spravedlivý
strachem se budu třást.

Ó králi můj
ó soudce můj
v trůnu velebnosti,
jenž laskavě

zůveš k slávě,
popřej Tvé milosti!

Zpomeň, Pane,
žeš k ochraně
přišel žádostiv nás:
ó neztracuj,
nezatracuj
mne v ten poslední čas.

Taks mne hledal,
žeš i ustal
v cestě unavený:
ó můj dárce,
necht' není daremní.

Spravedlivý,
milostivý,
Soudce spravedlnosti,
než přijde ten
strašlivý den,
odpuť nepravosti!

Ach uznávám, vinu dávám
své sám všetečnosti:
Hříchy vidím,
sám se stydím,
odpuť mé křehkosti.

Magdalénu,
hříšnou ženu,
přijals ku pokání:
a lkáním její
já nadějí
mám též k smilování.

Modlitby mé
jsou přebídné
v tomto mém úpění:
sama jistě tvá krev, Kriste
jest mé potěšení.

Nedejž státi,
losu bráti
s kozly v levé stránce:
s ovčičkami,
s družičkami,
připoj mne k své lásce.

Když zločince
ven z ovčince
odsoudíš k žalosti,
mně v počet tvých,
Kriste, svatých
uved' do radosti.

Adam Michna z Otradovic, Mariánská muzika, ed. Ant. Škarka, in: A.M.z O. Das dichterische Werk (Česká mariánská muzika – Loutna česká – Svatořeční muzika), Fink, München 1968). MM č. 57, str. 108.